SOLLEMNIA ANNIVERSARIA
CONDITAE UNIVERSITATIS

ET

MUNUS AUSPICANTIS NOVI RECTORIS

UNA

CUM CERTAMINIBUS LITTERARIIS

DIE

XIV ANTE KALENDAS DECEMBRES

RITE OBEUNDA

INDICIT

RECTOR ET SENATUS UNIVERSITATIS BERNENSIS.

INSUNT THEODULFI EPISCOPI AURELIANENSIS DE IUDICIBUS VERSUS AB HERMANNO HAGENO RECOGNITI.

BERNAE
TYPIS S. COLLINI.
MDCCCLXXXII.

D· M·

ALBERTO· BITZIO·

CONFOEDERATIONIS· HELVETICAE·
ORDINVM· CONSILIARIO·
REIPVBLICAE· BERNENSI· REGVNDAE·
NOVEMVIRO·
IVVENTVTIS· BERNATIS· EDVCANDAE·
PRAESVLI·
CANDIDISSIMO· BONARVM· ARTIVM·
EXISTIMATORI·
A· D· XII· KAL· OCTOBR· A· MDCCCLXXXII·
PRAEMATVRA· MORTE·
PATRIAE· AC· LITTERIS· EREPTO·
SACRVM·

PRAEFATIO.

Theodulfi Carolo Magno et Ludovico Pio imperantibus episcopi Aurelianensis atque abbatis Floriacensis contra iudices qui dicuntur versus edentes ad veteres studiorum saltus, quos utpote satis pervestigatos ac fere excussos iamiam relinquere posse nobis videbamur, interposito aliquot annorum spatio iterum quasi deferimur. Reducit enim iniunctus eius carminis auctori honor pristinae codicum Bernensium magnam partem illa ex regione petitorum originis memoriam nec non eius, qui primus illos versus prelis aut ipse subiecit aut subiciendi auctor fuit, *Petri Danielis* ICti Aurelianensis nomen civibus Bernensibus gratissimum, cuius, postquam vita concessit, thesauros manu scriptos cum aliunde tum ex ipso claustro Floriacensi prope Aureliam sito olim conlectos inter Jacobum Bongarsium et Paulum Petavium esse divisos, Bongarsii vero bibliothecam magna et typis exaratorum librorum, quos Petrus Daniel possederat, copia exauctam, cum a. MDCXII, quo anno Bongarsius vita defunctus est, hereditario iure ad Jacobum Gravissetum Argentoratensem devenisset, a. MDCXXXII ab hoc ipso Bernam esse delatam concessae a Bernensibus civitatis quasi antidosin civicae oppidi nostri bibliothecae inserendam, quoniam aliis locis[1] fusius exposuimus, repetere hic facile supersedemus.

Atque a Petro Daniele principem, quae a. MDXCVIII lucem vidit[2], Theodulfi contra iudices versuum editionem curatam esse, tum, cum illius vitam depingebam, suspicantis more magis quam pro certo adserentis contendere malebam[3]. Neque enim editi ab ipso carminis Theodulfiani in epistulis a Daniele eiusve fratre ad amicos doctos datis vel aliunde acceptis ulla fit mentio et libellus ipse, cuius duo exemplaria bibliothecae Bernensi inserta ad manum sunt, et in titulo et

1 Cf. catal. codd. Bernn. praef. p. XI—XXXVI et Petri Danielis Iacobique Bongarsii vitas in libro, qui inscribitur: *Zur Geschichte der Philologie und zur römischen Litteratur*, p. 1—216 iterum typis expressas.

2 Lutetiae, ut vulgo fertur (cf. Baehr. hist. litt. Rom. medii aevi p. 98), sed editio ipsa loci nomine caret neque Sirmondus de ea re quid memoriae prodidit; auctor unus esse videtur D. Gérou, S. Benedicti monachus, vir haud ita spectatae fidei, cuius ex libro (bibl. Aurel. ms. nr. 467) litteratorum Aurelianensis regionis hominum vitas continente illud quoque fluxit, quod Ludovicus Iarry v. d. in libro, cui titulus est: *Pierre Daniel avocat au parlement de Paris et les érudits de son temps, Orléans 1876,* p. 81 not. 1 retulit, repetitam fuisse editionem Parisiensem Moguntiae a. MDCII. Ceterum a. MDCXVIII Lugduni Batav. Gevehartus Elmenhorstius Danielinam locis pluribus, ut ipse ait, emendatam denuo publici iuris fecit, cf. E. Duemmler. arch. nov. hist. tom. IV p. 243 et poett. Latt. medii aevi tom. I. p. 441.

3 Cf. l. l. p. 17 not. 42, ubi Danielem non tam ipsum id carmen edidisse, quam eius editionem adiuvisse statuimus.

unam quamque per paginam omni auctoris notione destitutus est[4]. Quem re vera Petrum Danielem fuisse Sirmondus in Theodulfi ab ipso a. 1646 editi capite memoriae prodidit, ubi haec[5]: *Paraenesis ad Judices. Titulum hunc de suo effinxit Petrus Daniel, qui primus hoc poema in lucem dedit ex acephalo exemplari quod titulo carebat.* Atque hoc quidem exemplar illius editionis titulo teste e claustro Floriacensi petitum idem esse cum priori cod. Paris. nr. 18557 (Notre Dame 220) saec. X particula triginta uno foliis conposita, recte Duemmlerus vidit arch. nov. hist. IV p. 243 certissimis argumentis innisus: iidem enim desunt in utroque libro et versus viginti novem priores et v. 651—654, nec non v. 678—680, eadem in fine legitur subscriptio, iisdem mancae ad Motoinum epistulae versibus septem prioribus utrobique subiunctis fit librorum clausula[6]. Nam quod liber, qui olim procul dubio Petri Danielis fuit, ad Parisienses migravit, non mirabitur, qui, quae de codicum Danielinorum portionis Petavianae fatis constant[7], probe meminerit. Doctam igitur Danielis manum haud aegre agnoscimus plurimis illis eius carminis locis, quibus perversae codicis Parisini lectiones in anni 1598 editione Minerva iuvante felicissime emendantur, id quod aliis codicibus a Duemmlero investigatis atque primum adhibitis commode probatur. Quamquam enim emendandi ars recte exercita per se satis valet neque ullis indiget subsidiis extrinsecus petitis, id quod congruo codicum postea adhibitorum vel nuper inventorum concentu plus sexcentis locis satis superque demonstratum est, tamen, quae ingenii vi atque virtute conieceris, si ipsa librorum manu scriptorum lectione conprobentur, clarissimum illis inde quasi triumphum adquiri, quis infitias iverit? Quod propterea minus est spernendum, quia novicia quorundam hominum artem criticam tractandi ratio quippe a ratione ipsa haud raro inmane quantum abhorrens totum emendandi genus ea, qua olim viguit, fide exuit atque adeo infamia quadam infecit. Itaque Daniel vel quisquis illius auxilio usus est, ut non nisi pauca adferam, optime vidit v. 67 *crevit* esse legendum pro *credit;* v. 83 *Sic ostrum* pro *sit o.;* v. 89 *revocare volentes* pro *reuo ..... uolentes;* v. 94 *dicunt* pro *ducunt;* v. 100 *resque* pro *tresque;* v. 120 *speras* pro *sperans;* v. 129 *Avenica* pro *auernica,* alia plurima. Quare earum quoque eius editionis lectionum, quae codicum auxilio carebant, aliquam rationem habendam esse duximus, ita, ut, quae minus probabilia videbantur, versuum certe contextui subicerentur. Praeterea aequum videbatur, ut, quae Sirmondus non ipse excogitaverat, sed tacitus ex editione Danielina petierat, suo illa auctori redderentur.

4 Titulus hic est: THEODVLPHI | ANTISTITIS FLORI- | ACENSIS, POSTEA EPI- | scopi Aurelianensis, viri | suo seculo vndecunq. | doctissimi | PARAENESIS ad Iudices, | pia lectúque digna. | *Nunc recèns edita ex membrana Floriacensi sine maenide* | *Coronis vice tituli, haec est.* | VERSVS TEVDVLFI EPISCOPI | CONTRA IVDICES. | Quòd districto stylo prauis Iudicibus | acriter insurgat. | *TH·* | *Parcite Censores huic succensere labori,* | *Tollere qui crimen, non adhibere parat.* | *Non ego quorundam diffundo crimen in omnes,* | *Cuíque sit ex merito laúsue, pudorue suo.* | (Ornamentum typotheticum) | M· D· XCVIII· Sunt in eo titulo quaedam insolite dicta: nam primum quidem satis mirum, quod ea, quae ad membranae Floriacensis, qua editio nititur, conditionem pertinent, aut in praefatione aut in commentariis enarranda ad titulum reiecta sunt, id quod de iis quoque valet, quae Theodulfi nomini addita sunt *viri suo seculo* etc. Deinde illa de codice Floriacensi intrusa sententiam incohatam pessime interumpunt: nam quae secuntur verba *Quod districto — insurgat* non posse intellegi, nisi cum illis *pia lectuque digna* in unum coniungantur, satis patet. Suspectum praeterea *recens* vocabulum pro *primum* positum et *undecunque* vocis usus minus aptus, quam ab incerto Ludovici Pii vitae scriptore libri editor mutuatus est. Monendum praeterea, verbis *sine maenide* (— menide) editorem significare voluisse, codicem illum ab initio mutilum fuisse tituloque caruisse; illa vero *coronis vice tituli haec est* ad codicis subscriptionem pertinere. Duo disticha *Parcite censores* etc. ex ipso Theodulfi (TH.) carmine petita sunt, cf v. 321—324. Taedet denique, quod ipsi carmini nulla adest numeratio perpetua, cuius defectus eo molestior est, quod non paginae singulae, sed folia universa numeris insignita sunt. In fine additi sunt septem priores epistulae a Theodulfo ad Motuinum de carcere missae versus (nr. LXXII, 1—7 ed. Duemmler. poett. Latt. medii aevi I p. 563), qui quid sibi velint hoc loco, editor nos prorsus celavit, ex eodem eos codice Floriacensi esse depromptos ne uno quidem verbo significans. At Danielinam eruditionem produnt octo de Theodulfo testimonia carmini praemissa: Letaldi, incerti Ludovici Pii vitae scriptoris, Hugonis Sancti Victoris, Sigeberti Gemblacensis, Iacobi Philippi Bergom., Rup. Guaguini, Joannis Trittenhemii, Conradi Gesneri sive Iosiae Simleri.

5 Sirmondi opp. ed. Ven. II p. 737. 738.

6 Est cod. P apud Duemmlerum poett. Latt. medii aevi tom. I p. 441. 493 ss.

7 Cf. catal. codd. Bernn. p. XIV. not. 9 (comment. ad philologiae hist. pertin. p. 3 et praef. p. II. s.) et L. Iarry l. l. p. 87 s.

Sirmondo, alteri eius carminis editori, quod poematum Theodulfianorum agmen ab ipso primo collectum[8] praecedere iussit, nova aliquot ad rem criticam factitandam librorum manu scriptorum subsidia praesto fuerunt, de quibus ille haec l. l.: *In codice Altae sylvae et in Petaviano, in quibus poema integrum extat, simplicior est inscriptio „contra Judices". Nos retenta inscriptione Danielis eorumdem codicum ope versus undetriginta, qui principio deerant, et alios aliis locis restituimus multaque passim, quae vitiosa erant, correximus.* Atque Petavianum librum eundem esse, qui hodie in bibliotheca Leidensi adservatur cod. Voss. Lat. 4° nr. 15 s. X[9], Duemmlerus arch. nov. hist. IV p. 242 inde evicit, quia codici illi nonnulla insunt Petavii manu scripta. Itaque cum novicius carminis titulus *Theodulphi episcopi Aurelianensis versus ad iudices* in libro Leidensi obvius Duemmlero auctore[10] Petavii manu scriptus sit, Sirmondi de codicum ab ipso adhibitorum inscriptione verba ad unum «Altae Sylvae» librum referenda erunt, nisi minus accurate *contra iudices* pro *ad iudices* eum scripsisse statuere malis. De ipso Altae Sylvae codice nihil praeterea conpertum.

Qui Sirmondum secutus est ducentos fere ac quadraginta post annos Ernestus Duemmlerus, peritissimus medii aevi fontium indagator atque idem in antiquis quoque litteris optime versatus, ad Theodulfi carmen iudiciarium emendandum praeter libros, quos modo commemoravimus, Parisinum et Leidensem duos etiam adhibuit antehac neglectos Mediolanensem bibl. Ambros. C. 74 quart., quondam „Sancti Columbani de Bobio" librum nr. 66 saec. X[11] et musei Britannici Harleianum nr. 3685 saec. XV[12], qui Conradi olim Peutingeri fuit. Quattuor his, quae etiam nunc extant, rei criticae subsidiis quasi quintum accedit adminiculum quamvis satis exiguum Hincmari archiepiscopi Rhemensis locus, qui in illius de divortio Hlotharii regis et Tetbergae libello (interrog. VI) legitur[13]. Ita enim illic carminis Theodulfiani fit mentio, ut post verba: *Et hinc ex sanctis scripturis et catholicorum dictis quidam orthodoxus et insignis poeta inter alia scripserit dicens* duodecim inde versus integri commemorentur[14]. Quibus quamquam insunt nonnullae lectiones per se haud spernendae, tamen, quia a congruo ceterorum librorum satis probabilia exhibentium concentu alienae sunt, Hincmarus, ut in ceteris pro teste per se satis locupleti habetur, ita illos quidem versus e memoria potius laudasse putandus erit.

Hos igitur libros a Duemmlero diligentissime conlatos nostra quoque editio ad Theodulfi verba constituenda adhibuit ita, ut adparatus qui dicitur critici ab illo congesti ea omitterentur, quae ad orthographiam pertinerent vel meros scribentium errores saperent vel sinceris ceterorum codicum lectionibus corrigerentur. Itaque haec et ipsa ad librorum singulorum qualitatem recte aestimandam omnino necessaria ex accuratissima Duemmleri nostri editione haurienda erunt. Deficientibus enim novis auxiliis e librorum manu scriptorum memoria petendis in hoc uno operam conlocavit editor, ut traditis scriptoris verbis, quantum etiam fieri poterat vel posse videbatur, interpungendi coniectandique ope succurreret aucto illo locorum similium ad scriptores

8 Haec editio lucem vidit a. 1646; deinde recepta fuit in Bibl. Max. Patr. (ed. Lugd.) tom. XIV, 28 ss.; postea in Sirmondi opp. ed. Paris a. 1696 II, p. 1029—1128; ed. Ven. a. 1728 II p. 737—892; ad postremum in Mignii Patrol. CV, p. 283—380.

9 Est codex L apud Duemmlerum poett. Latt. medii aevi I p. 440. 493 ss. De Isaaco Vossio aliquot supellectilis Petavianae librorum possessore cf. locos de varia Petavii bibliothecae sorte supra p. VI adn. 7 laudatos.

10 L. l. I. p. 493.

11 Cod. M apud Duemmlerum l. l. I. p. 493, qui librum diligenter descripsit in arch. nov. hist. IV p. 242 s.

12 Cod. H apud Duemmlerum l. l. I p. 493; cf. eundem v. d. in arch. nov. hist. IV p. 243 s. (cf. ib. p. 108) et poett. Latt. medii aevi I p. 441 s. de hoc libro accurate disserentem.

13 Hincmari opp. ed. Sirmond. I, 602.

14 V. 833—844.

antiquos pertinentium conspectu, quem iam Duemmlerus rite ac feliciter incohaverat. Nam patet ad poeticam auctoris alicuius indolem ingeniumve cognoscenda summi momenti esse illius cum priorum temporum poetis conparationem. Atque hunc quoque similitudinum numerum satis grandem aliquantum augeri posse postea conpluriens vidimus, cf. e. g. ad v. 95 Ov. Trist. I, 5, 53 et Sedul. c. Pasch. I, 83 ss.:

Nam centum licet ora movens vox ferrea clamet
Centenosque sonos humanum pectus anhelet,
Cuncta quis expediat, quorum nec lucida caeli
Sidera nec bibulae numeris aequantur arenae?

In scribendis autem verbis, propriis praesertim nominibus, receptam ab antiquitate orthographiam nec non saepe libris ipsis vel una altera eorum parte traditam sequi maluimus, quia e codicibus nullus ad ipsam Theodulfi aetatem vel adeo manum redit.

Theodulfum in versibus condendis Vergilium inprimis atque Ovidium[15] imitatum esse, magno locorum similium iam a Duemmlero congestorum numero, quem data opera auximus, satis superque demonstratur: at et relictis illis singularem eum nonnumquam in rebus metricis viam sibi munivisse, iam aequales eius vel fere coaetanei viderunt. Haec enim Servatus Lupus[16] in vigesima epistula: *„Nundinas" in Theodulfi carmine legi producta paenultima, quod, utrum eius an praeceptorum auctoritate, penes illum fides habeatur,* quae ad Theodulfi carm. nr. LXIX v. 47 ed. Duemmler.[17]:

Fruge ope nundinis pulchris et rebus abundans

referenda sunt. Deinde ex codice Bernensi nr. 83 saec. X f. 72^b haec olim excerpsimus[18], ab Ioanne Huemero Viennensi sagacissime nuper inlustrata[19]: *Sic etiam poetae pauciorum verba syllabarum necessario producta custodiunt, plurium vero nonnumquam licite corripiunt. Paenultimas enim „studebam" et „mederer" nullus umquam praeteritorum corripuit, at „studebamus" corripuit Teudulfus et „mederetur". Sedulius:*

Ille loquebatur, nos stupebamus ait.

Versus enim ille cum non sit Sedulii, sed Theodulfi[20], recte Huemerus vidit in *studebam* et *studebamus* verborum locum vocabulis *stupebam* et *stupebamus* substitutis atque non nisi his ad Theodulfum relatis sententiam a grammatico propositam rite procedere, cetera vero ad *mederetur* vocis prosodiam pertinentia, cuius nullum apud Theodulfum extat exemplum, re vera de Sedulio dicta esse, quippe cuius hic legatur versus carm. Pasch. III, 238 hoc ipso grammatici Bernensis loco supplendus:

Vix attacta Dei morbis mederetur acerbis.[21]

15 De quibus Theodulfus in eorum, quos legere solitus sit, librorum recensu carm. nr. XLIV, 17 ss. ed. D. non sine veneratione:

Et modo Pompeium, modo te, Donate, legebam
Et modo Virgilium, te modo, Naso loquax.
In quorum dictis quamquam sint frivola multa,
Plurima sub falso tegmine vera latent.

16 Fuit abbas Ferrariensis ab a. 842 usque ad a. 861; de metricis eius studiis in Boetii philos. consol. conlatis cf. quae Rudolfus Peiperus meus Vratislaviensis in editionis suae praef. p. XXIV ss. et disputavit et publici iuris fecit.

17 Poett. Latt. medii aevi I p. 559.

18 In Anecdotis Helveticis quae ad grammaticam Latinam spectant (gramm. Lat. ed. H. Keil. supplem.) p. 186.

19 Annal. gymn. Austriac. a. 1877 p. 336.

20 Theodulfi opp. ed. Sirm. lib. VI v. 658; ed. Duemml. nr. XXXIII, 3. v. 8 (Poett. Latt. etc. I p. 526).

21 Ubi Grunerus, ut prosodiae succurreret, contra libros *medeatur* scribendum esse existimavit.

Itaque non mirum, si Theodulfus aliis quoque in rebus a vulgari carmina condentium consuetudine atque adeo severiore priscorum more paullulum recessit. Quod de Leoninis qui dicuntur versibus passim carmini inmixtis[22] minus valet, quia id versus conponendi genus iam ante Theodulfi tempora floruit[23] neque ipsis classicis quos vocant auctoribus plane ignotum vel turpe fuit.

Jam vero hiatum aliquotiens admisit, sed ita, ut leges quasdam sequeretur. Primum enim illum habes in mediis pentametris: v. 26 *viam hos,* 234 *quidem hic,* 236 *galeam hic,* 368 *pium hinc,* 496 *Christi est,* 612 *nimium hanc,* 630 *opem his,* 678 *quiddam innuit,* 846 *iudicio est.* Deinde vides verba hiatum excipientia fere omnia ab h littera ordiri, id quod v. 282 quoque *cum habeat,* v. 483 *tantum horrendum,* v. 605 *quantum has,* v. 953 *pro his* accidit[24]. Permisit autem sibi talia Theodulfus Sedulium secutus, qui haec carm. Pasch. III, 287:

Principium ac finem, hunc alpha viderier hunc ω.

Eadem littera in causa fuit, cur breves syllabae producerentur: v. 439 *fatigatur hac,* 535 *populus hinc,* 537 *eris habitator,* 627 *causilocus horum,* 739 *perstat hic,* cf. Sedulii c. Pasch. V, 277:

Mors stimulus horrenda tuus.

Nam aliter se res habere videtur his locis: v. 698 *conspiciat hinc,* 812 *venit hac,* 824 *metuat hac,* 886 *crescat his,* 920 *mentitur hic,* 952 *satiat hos,* quippe quibus brevium syllabarum productio mediis in pentametris admissa sit. Eodem enim versus pentametri loco a Theodulfo breves saepe producuntur, ut: v. 114 *Pyrenaeus*[25] *orbe,* 510 *sublimis editiora,* 548 *erit et,* 574 *fugiat infima,* 659 *nequeat explere,* 704 *conspicitur est,* 776 *premit ille,* 898 *homini subditus,* 912 *homini quod,* 956 *teneat ancora.* Idem quod in v. 475 quoque accidit loco alieno *queat obsistere,* caesura excusandum erit; eodem modo v. 111 *Wardo* nominis in caesura positi syllabam posteriorem productam explicabis, quam v. 104 alio versus loco corripuerat. Sed num v. 223 *decorat* vel v. 401 *sepelit* longis paenultimis sibi concesserit, est quod dubitem, quare illic *decora,* hic *nam qui se nimiis sepelit somnoque epulisque* legendum esse coniecerim. V. 697 quoque *munita casside* pro corruptela habendum scribendumque fortasse *munitaque* nec non v. 523 *quod* ante *aer* male producitur, quod vitium tollitur, si libris iuvantibus scribas: *quod terrae, quod et aer.* Quod porro gerundii ablativum fere ubique[26] correptum semel ultima producta intulit v. 791 *iurando,* facile explicatur neque de vocabuli *nullius* paenultimae ancipitis a Theodulfo alioquin correptae[27] productione semel obvia[28] haererem, nisi una cum ultimae quoque prolongatione citra legem esset coniuncta[29]. E contra Theodulfus longarum syllabarum correptionem fere nusquam sibi indulsit[30].

22 Sunt autem versus decimam fere totius carminis partem conplexi hi: 29. 49. 76 (85). 204. 268. 269. 293. 300. 303. 305. 307. 324. 332. 342. 343. 358. 362. 371. 376. 380. 384. 391. 408. 416. 417. 441. 444. 454. 464. 465. 473. 482. 494. 505. 519. 527. 531. 532. 533. 574. 582. 588. 593. 607. 609. 613. 617. 619. 637. 641. 644. 650. 664. 668. 681. 683. 687. 703. 715. 719. 758. 759. 761. 777. 781. 789. 796. 798. 799. 801. 805. 854. 857. 863. 866. 869. 875. 876. 890. 893. 911. 914. 921. 924. 939 (942). 943. 946. 951.

23 Quid quod in Sedulii carmine Paschali e versibus MDCCLIII non minus quadringenti septem more Leonino ficti sunt, i. e. quarta paene totius carminis pars?

24 Ut verear, ne praepropere sollicitaverim v. 23 *regum hoc,* praesertim caesura hiatum quasi adiuvante. Iam v. 479 *vis humilis statim exiliat* ob id exemplis supra congestis non adieci, quia prior *statim* vocis syllaba iam ab Avieno (Arat. 397) et Alcimo Avito (II, 180) producta fuit.

25 Cuius vocabuli primam corripuit Lucano IV, 83 auctore.

26 V. 692. 766. 776. 778. 928.

27 V. 18, ut *illius* v. 34. 355, *solius* v. 537.

28 V. 706.

29 Itaque l. l. fortasse legendum *nullius ast en ego* vel *nullius en ast ego.*

30 Ut v. 895 *praees* et v. 494 *enorme* (inorme) auctore Sedulio carm. Pasch. III, 264 *Pavit enorme virum:* nam v. 521 pro *putenti* fortasse *putrenti* legendum.

Egregiae describendi artis cum multa in hoc carmine extent exempla, tum eminet Superbiae imago inde a v. 457 delineata vel varia plebis muneribus oblatis iudicum integritatem corrumpere studentis tentamina v. 167 ss. depicta, quo loco et legitur vivida vasis vetusti caelatis laborum Herculeorum figuris ornati descriptio dignissima illa quidem, quae ab artis antiquae per medii aevi tempora propagatae indagatoribus adnotetur, nec non palliorum vario colore fucatorum conmemoratio v. 211 s. facta. Adde, quod et, quae ad lautiorem vivendi rationem pertinent, cuius haud expertem Theodulfum fuisse et simile v. 83 propositum *sic claudit prandia vinum* luculenter demonstrat, optime enarravit v. 285 ss.

Sunt praetera quaedam notatu sane minime indigna, quibus Theodulfum, fidelem illum antiquorum imitatorem, sermonem suum ad cultiorem dicendi normam exegisse efficitur. Quo in genere nominandae sunt exquisitae politioris grammatices figurae v. 97 *artarier (laxarier)*, 395 *frenarier*, 817 *mentirier*, vel quod *quis* pro *quibus* saepe intulit, ut v. 90. 135. 225. 610. 716. 948 cett., vel quod perfecti temporis infinitivum pro praesenti posuit v. 468 *Plebibus ut misci dedecuisse putes.*

Usus posso quibusdam vocum similium eandem rem vel significantium vel describentium seriebus, quae plerumque ita conparatae sunt, ut nullis fere copulandi particulis incidantur, enarrandi vigorem aliquantum auxit, ut v. 42. 103 ss. 121. 290. 340. 407 s. 440. 451. 459. 461. 569. 629. 848, cf. Sedulii carm. Pasch. I, 51. 296. III, 24. V, 60. Auxanomenu qui dicitur logu exempla habes v. 15 *Judicio pietas, pietati industria detur*, v. 553 *Post vitam vermis, post vermem pulvis habebit*, v. 565 *Ut caelis aer, tellus huic infima cedit.*

Deinde geminandis et vocabulis singulis et integris sententiarum particulis vim quandam orationi iniungi cum probe sciret, iterare verba haud dubitavit vel singula, ut v. 315. 451. 454. 467. 523. 729. 813 s. 871 s. vel conpluria, ut v. 146 s. 432. 484 s.[31] 881 s. Eodem pertinet, quod eiusdem verbi formas diversas cupide coniungit, ut v. 178 *sonat-sonanda*, 486 *sors sorte*, 497 *aetherc-ad aethera*, 499 s. *trahit-trahas*, 521 *squalenti squalens*, 544 *rebus-rerum*, 545. 547 *vehendum-vehendus*, 551 s. *visu-visibus*, 553 *vermis-vermem*, 616 *fallaris-falle*, 617 *falsa-falsae*, 685 s. *laedunt-laeditur*, 695 s. *armare-armat*, 719 *capiant-capias, sumere sumas*, 721 s. *secedere-secedent*, 728 *dantur-dat*, 806 *pulvere pulvis*, 807 *o merces merces mercede*, 819 s. *temptat-temptet*, 822 *in igne-ab igne*, 843 s. *vulnera-vulnere*, 905 *fera-fera, serpens serpente.*

Nec non delectatur eiusdem originis verborum simplicium atque derivatorum societate, ut v. 321 *censores-succensere*, 504 *cedat-abscedunt*, 945 *conservo-servus*. Itaque non mirandum, quod homoeosin in his quoque venatus est: v. 225 *fulcra-pulchra*, 240 *quaerant-querantur*, 247 *linea-lanea*, 389 s. *munia-munera*, 536 *parere parat*, 937 *operta-aperta.*

Alia insolentius novavit vel ex vulgari dicendi more petivit, ut *verebere* passive positum v. 419 (cf. Gell. XV, 13) nec non *suspicor* simul personaliter dictum v. 95, vel *misci* pro *misceri* adhibitum v. 468 et *censeri* iubendi notione personaliter prolatum v. 365. Huc et illa pertinent: *cerne quod* v. 339, *nubs* v. 758 auctore Ausonio id. XII, de hist. v. 4, *Noricus* v. 119, *Lugdune* v. 119. 123, *Rupee Morenate*[32]) v. 128. *Vicinia* v. 155 male numero plurali positum malui pro

31 De vocabulis, postquam in versu extremo posita fuerunt, in sequentis versus initio repetitis, id quod v. 484 s. accidit, cf. quae Eduardus Woelfflinus noster acuta illa, qua solet, observandi subtilitate usus disputavit in egregia conmentatione sua, quam de geminatis apud Latinos verbis scripsit, acad. Monac. class. hist. et phil. actis hoc ipso anno inserta p. 431 s.

32 Cf. Neue, Lat. Formenl. I, p. 633.

Theodulfi errore habere versus Vergiliani ecl. I, 50 *Nec mala vicini pecoris contagia laedunt* similitudine decepti, quam cum Sirmondo facere *vicinia laedit* cupidius substituente. Illud quoque animadvertendum, *manendi* verbo nonnullis locis noviciam eum notionem iniunxisse, qua idem, quod *esse* vel *extare* vel simile quid significat, ut v. 8. 462. 750. 779. 783. 910; *inesse* quoque verbum aliquotiens absolute positum circumfertur eandem, quam *esse, adesse, extare, praesto esse* notionem exhibens, ut v. 6. 8. 409. 716 cett. Jam ablativum purum abiecta *ab* praepositione intulit v. 506 *vulnus hoste datum,* 511 *vallaris pluribus,* 942 *quod petis ipse Deo.* Eodem modo *in* praepositionem sustulit in voce *quo,* quam pro *in quo* vel *ubi* frequentissime usurpavit, ut v. 6. 8. 132. 138. 149. 154. 181. 185. 187. 197. 213. 372. 488.

Denique vocabulorum conlocatio ab usitato dicendi more aliena conspicitur v. 225 *Quis bene fulcra nitent et pulchra toreumata pannos,* v. 262 *inque rogos undis,* v. 609 *ab utraque silentia parte,* v. 885 *Spes visu crescat his et utrumque calor,* v. 927 *Flebilior sed iniqua gerens, qui sustinet, illo est* cett.

Sed haec et eiusdem generis similia non tanti sunt, ut aequum virorum doctorum possint infringere iudicium, quo Theodulfum in imitanda illa priscarum litterarum venustate omnium sui aevi scriptorum felicissime versatum esse uno omnes ore consentiunt.

Corollarii instar nonnulla subiungere libet, quae in expurgando altero similis argumenti carmine Theodulfiano [33], cuius nullus iam extat liber manu scriptus, post Sirmondum editorem principem, quem Duemmlerus secutus est, coniectura profici etiam posse videbantur. Eius igitur poematis, cui Sirmondus titulum: « de septem vitiis capitalibus » praescripsit (Sirm. opp. ed. Ven. 1728 tom. II p. 837 ss.; poett. Latt. medii aevi ed. Duemmler. tom. I p. 445 ss.) ab initio mutili plurima deesse iam Sirmondus viderat neque tamen, quibus de rebus in parte deperdita olim Theodulfus egisset, significavit, nisi quod de septem vitiis capitalibus eo carmine illum tractasse monuit. Quod patet ex v. 257 ss. (ed. Duemmler.):

Cladibus his septem totum vastaverat orbem
Hisque triumphator totius orbis erat,
His genus humanum vitiis ferus hostis habebat
Captivum, his armis subdideratque sibi.

Ipsa vero vitia v. 265 ss. enumerantur:

Est gula namque vorax, sequitur hanc moechia turpis,
Fraus et avaritiae seu scelus invidiae,
Tristitia hinc segnis, furiosae morbus et irae
Duxque harum his superest inde superba lues.

Quorum de tristitia agitur v. 1—52, de ira v. 53—166, de superbia v. 167—254: desunt igitur descriptiones gulositatis, moechiae, avaritiae, invidiae atque tristitiae enarrationis pars prior, ut, quia aequabili fere versuum spatio singula vitia depicta sunt, quadringentos et quod excurrit versus intercidisse conicias. In iis, quae aetatem tulerunt, haec corrigenda esse videntur: v. 22

33 In quo praesertim de avaritia atque superbia multa eundem in modum dicta sunt.

post *solent* comma ponas; v. 63, cum Theodulfum ablativi *eadem* alteram vocalem corripuisse haud sit verisimile, fortasse hunc in modum singula verba transponenda sunt:

Virtutum et cuneus veniente fatiscat eadem.

V. 86 post *virginibus* commate interpungas nec non v. 88 post *habet;* v. 91 interpungendum:

Est etiam interdum, Zelus qui dicitur, ira
Provida etc.

V. 97 pro *tamen* scribas *tantum* et sensu et utriusque vocabuli siglorum similitudine adiutus; v. 103 ss.:

Est namque ira odium, quando inveterata senescit
Deque malo in peius discit abire malum

pro *discit* malim *gliscit* (cliscit-discit), cf. Stat. Theb. III, 73:

Et consanguineo gliscis regnare superbus
Exule.

V. 111 pro *illa* fortasse legendum *ira*, quo et ambiguitas vitetur et color rhetoricus restituatur; v. 122 post *mali* comma ponas, versu sequenti post *defensio* tollas, post *sollers* colon inseras; v. 135 in antidosi pro *et est* legendum videtur *inest* vel *adest;* v. 166 pro *labefactatus sit* scribendum *l. fit* vel *it,* i. e, *abit* haud adversante hiatu, quem hoc pentametri loco haud raro admittit Theodulfus; v. 182 interpungas:

Atque illis tribuunt, non, sua dona, Deo.

V. 199 interp.:

Quae iubet, ergo fiant, vetat et quae, exotica sunto,
Lex pia etc.

V. 203 pro *secundo* legas *secunda,* sc. pars, cf. v. 193 et v. 211; v. 223 post *suis* comma ponas; v. 226 pro *dispicere* leg. *despicere*, cf. v. 227 *despectis paribus;* v. 227 pro *atque* leg. *at qui* et v. 228 post *putant* commate interpungendum, ut a sequentibus verbis apodosis incipiat; v. 234 pro *et* fortasse legendum *fert.* V. 237 s.:

Morbida seu ve abicit metus et contagia pestis,
Sic sordes aedis aspera scopa abigit

legendum

Morbida saevae abigit metus ut contagia pestis, etc.

V. 272 post *arma* interpungas, deleto post *e diverso* commate, cf. v. 289, 298; v. 286 post *lenis* interpunctionem tollas atque hanc vocem ad sequentia referas.

Denique extrema huius carminis pars, quae inde a v. 257 usque ad v. 314 porrigitur, haud parvam movet suspitionem ob languidam argumenti ex antecedentibus versibus repetiti aequabilitatem; accedit, quod v. 255 s. ex verbis:

Quae per prata parum vitiorum, Musa, measti,
In tepidi libri sistito fine gradum

illo loco carmen ad finem esse perductum recte colligas. Prorsus aliter enim se habet res prope carminis iudiciarii finem v. 887 s., quippe post quem locum non repetantur, quae modo dicta erant, sed nova quaedam hucusque praetermissa subinferantur. Jam illos versus in eius, de qua

agimus, partis fine quinquaginta sex solum versibus interiectis repeti atque tam putide repeti, ut pusilla verborum particula mutetur, cetera pura puta transcribantur, hunc in modum:

Quae per prata parum vitiorum, Musa, measti,
Tempus adest, isto sistito fine gradum

quis ferat vel a Theodulfo haud inhabili versuum conditore tale quid conmissum credat?

Sed

Claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

Superest, ut acriter vos admoneam, conmilitones carissimi, atque inpense rogem, ut, dum eodem, quo hucusque amplexi estis, fervore litterarum studia lectissima colere pergitis, candidissimam simul animis vestris morum integritatem exprimatis illius viri, cuius Manibus, cum cunctorum, qui eius praestantiam norant, dolorem eundem atque vegetum defuncti desiderium perspexissem, quae una mecum omnes sentirent, aliquatenus effingere conatus haec sacra esse volui.

Datum Bernae a. d. XIV Kal. Dec. a. MDCCCLXXXII.

HERMANNUS HAGENUS.

Iudicii callem, censores, prendite iusti
    Et vestri spernant avia curva pedes!
Hoc iter ad caelum ducit, trahit illud ad Umbras;
    Hoc pia vita tenet, mors habet illud hians.
Ergo cavete, viri, scatebras Acherontis adire,
    Quo Styx, Cocyti quo furor omnis inest.
At, Paradise, tuis nil gratius aedibus extat,
    Quo mala nulla insunt, quo bona cuncta manent.
Si mihi mille forent centeno in gutture linguae,
    Aerea vox cunctis ferrea verba daret,
Non possem, fateor, tot promere sedis amoenae
    Gaudia, quae capiunt, qui bene iura tenent.
Sed neque poenarum percurrere monstra loquendo
    Possem, quae patitur fraudis amica cohors.

Iudicio pietas, pietati industria detur,
    Quo teneant nullum munera saeva locum.
Hoc veteris clamat peragendum pagina legis,
    Nullius hoc vatum lingua beata tacet.
Hoc euangelicus lituus per compita mundi
    Mugit, apostolicus hoc quoque sermo tonat.
Haec patriarcharum res vexit ad ardua nomen,
    Inde prophetarum sancta caterva cluit.
Quique ducum aut regum qui hoc sanctum limite callem

L = *cod. Voss. lat. quart. 15 bibl. Lugd. Batav. saec. X;* M = *cod. Mediol. bibl. Ambros. C 74 quart. saec. X;* P = *cod. Paris. 18557 (Notre Dame 220) oct. min. saec. X;* H = *cod. mus. Britann. Harleianus 3685 saec. XV.*

Paraenesis ad iudices *praescripsit Sirmondus Petrum Danielem editorem principem secutus; deest titulus in libris manuscriptis praeter codicem H natu minimum, in quo haec:* liber de iudicibus exametris versibus conpositus. *Ex codicis P subscriptione effinxit Duemmlerus:* VERSUS TEUDULFI EPISCOPI CONTRA IUDICES *(cf. libelli fin.)*

5 acerontis *codd.* 6 stix cociti *codd.* 23 ac regnum *Sirm.* regum hoc *codd. cum hiatu*

2 *Sedul. carm. pasch. I, 284* curva per avia *Theodulfi fragm. de vitiis capitalibus v. 229 (poet. Lat. medii aevi ed Duemmler. I p. 450)* sic avia curva Carpentes rectam deseruere viam 6 *Ovid. Amor. I, 7, 2* dum furor omnis abit 9 *Pers. V, 6* centeno gutture *Verg. Aen. VI, 625—627* Non, mihi si linguae centum sint oraque centum, Ferrea vox, omnes scelerum conprendere formas, Omnia poenarum percurrere nomina possim; *Georg. II, 42 s.* Non ego cuncta meis amplecti versibus opto, Non, mihi si linguae centum sint oraque centum, Ferrea vox *Ovid. A. Am. I, 435 s.* Non mihi, sacrilegas meretricum ut persequar artes, Cum totidem linguis sint satis ora decem *Ovid. Ibis 201* Nec mala voce mea poterunt tua cuncta referre, Ora licet tribuas multiplicata mihi *Ovid. Met. VIII, 533* Non, mihi si centum deus ora sonantia linguis Ingeniumque capax totumque Helicona dedisset, Tristia persequerer miserarum vota sororum *Hostius apud Macrobium Sat. VI, 3* non si mihi linguae Centum atque ora sient totidem vocesque liquatae *Paulin. Nol. c. 21, v. 351 s.* Si mihi flumineis facundia curreret undis Oraque mille forent centenis persona linguis, Forte nec his opibus .... Omnia Felicis percurrere munera possem; *cf. Drakenborch. ad. Sil. IV, 528 et A. Zingerlii librum: Zu späteren lateinischen Dichtern II, p. 64* 19 *Verg. Aen. VIII, 525 s.* et ruere omnia visa repente Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor

Obtinuit, potitur omnibus ille bonis.
At qui errore duce scabrosa per avia vecti
Hanc liquere viam, hos bona cuncta simul.
Numinis interpres Moyses fidissimus almi
Conloquio fruitur plebe stupente Dei:
Ille quater binis heremi per devia lustris
Divitem opum populum rexit honore Dei;
Semper amans aequum, semper fera praemia tempnens
Exemplo et verbis norma salutis erat.
Maternis Samuhel natus votisque fideque,
Illius et dono, qui bona cuncta creat,
Tempus qui ante facit, quae tempore condita monstrat,
Cui simul est praesens, quod fuit et quod erit,
Omne genus fraudis sprevit bona cuncta secutus
Nec pretio est usus, vilis aselle, tuo!
Quid referam resono modulantem carmine regem,
Qui tota studuit mente placere Deo?
Cui bene cuncta simul parent in laude Tonantis:
Ars, caro, mens, plectrum, vox, lyra, chorda, chorus.
Cantibus et gestis et totis nisibus iste
Probra cavenda monet, iura tenenda docet.
«Iustus», ait, «Dominus, moderati iuris amator,
Cuius ovans vultus omnia iusta videt.»
Hic ita censores pravos his vocibus hiscens
Admonet et monitis talibus ora movet:
«Ut quid iudiciis toties instatis iniquis
Et fera peccantum sumitis ora simul?
Pauperis ad causam concurrite sive pupilli,
Et miser et pronus iustificatus eat;
Vos inopes manibus peccantum demite diris!»
Hinc prolixa stilo talia plura canit.
Huius in inmensum veneranda potentia tendit,
Quivit eri felix qui pater esse sui.
Hic adversorum crebra est fornace recoctus:
Hinc virtute cluit, exsuperat vitia.

26 hos *habet Sirmondus, non* hoc 29 quater denis *ante Sirmondum iam P. Daniel* 35 monstrat L monstret P M *Dan.* 37 fraudis spreuit L M spreuit fraudis P *Dan.* 42 corda *codd.* 43 et atis H 54 Huic *libri* hinc *corr. Duemmlerus* 56 Quivit heri *Sirmondus* Qui uithiere P, Qui uideri M L

27 *Prud. Cathem. VII, 37* Moyses tremendi fidus interpres throni *Verg. Aen. III, 359* Troiugena, interpres divum, qui numina Phoebi, *cf. Aen. III, 474; IV, 356. 378; X, 175* 28 *Verg. Aen. VII, 90* fruiturque deorum Colloquio 30 *Verg. Georg. II, 527* Dives opum, *cf. Aen. I, 14; II, 22; infra v. 239* *Ov. Fast. III, 570* opum dives 38 *Ad I Reg. 9, 20 (potius I Sam. 9, 20) provocat Duemmlerus, sed praestat hunc locum ad I Sam. 12, 3 referre* 39 *Verg. Georg. II, 118* Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsamaque 45 *Cf. Psalm. CIII, 6* 48 *Ovid. Met. XV, 143* Et quoniam deus ora movet, sequar ora moventem Rite deum 49 *Psalm. 82, 2* Usque quo iudicatis iniquitatem et facies peccatorum sumitis? 3 Iudicate egeno et pupillo: humilem et pauperem iustificate 4 Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate 55 *Ovid. Met. IV, 659 s.* tum partes auctus in omnes Crevit in immensum 57 *Prud. Psych. 599* nec adhuc fornace recoctam Materiem *Ven. Fortun. ad cler. Parisiac. 15* veluti fornace recocto *Verg. Aen. VII, 636* recoquunt patrios fornacibus enses

His eius quoniam caruit clarissima proles,
    Hinc laeva dextrum mente reliquit iter.
Quo mage vomer humum subiectam sauciát uncus,
    Est hinc spina minus, hinc mage grata seges.
Rex fuerat sapiens, legum et moderamine iustus,
    Femineis captus ni foret hic laqueis.
Heu! bona tot linquens tanta est ad probra volutus:
    Nectar dulce meri sic male perdis, acor!
Crevit et Ezechiae venerandi gloria regis
    Iustitiae meritis et pietatis ope,
Cui tria Cunctipater voluit superaddere lustra,
    Mortis et occasu cui pia vita redit.
Edocet hic populum patrias ediscere leges
    Et fugere erroris inpedimenta mali.
Fregit in excelso conpostum monte chelydrum:
    Vitae hic causa prius, postmodo mortis erat.
Sic medici scalpro qui se transfigit acuto,
    Unde salus aliis, huic venit atra lues.
Haec tibi, Iosias, fuit observantia princeps
    Haecque celebre tulit nomen ad alta tuum,
Impia qui sceleris demis monumenta vetusti
    Et patrias leges, qua potes, usque novas;
Qui decedenti datus es pia gloria regno,
    Quem vespertini temporis ordo dedit.
Sic ostrum limbus, sic claudit prandia vinum,
    Post fructus anni pinguis oliva viget. —
Ingens turba Patrum est, quibus hoc opus instituendum est,
    Quos pia lex retinet quosque referre mora est.

Saepe ego pollicitis censores linquere cerno
    Iura aurumque avido gutture et ore sequi:
Saepe ego, ne capiant, studeo revocare volentes;
    Sunt mage, quis velle est: cui modo nolle, minus.
In rivos dum quis spatiosum diriget amnem,

60 leva *codd. semper* 62 prata seges P parta *Sirmondus* 64 his P 66 Nectar, dulce meri sic male perdis acor *interp. editores* 71 edicere *Sirm.* 73 cecydrum P celidrum *cett.* 76 Inde *Daniel, Sirm.* hic P hinc *Daniel* inde salus, aliis hinc venit atra lues *interp. Daniel* 77 observantia, princeps *interp. Duemmlerus, cf. v. 279* concordia princeps 80 qui M 85 patrum *om.* est P, *Dan. Sirm.* 87 pollicitus M, *an leg.* pollicitos? censorem L 89 capiant] cupiant *coni. Duemmlerus* 91 dirigit *Daniel* dirivet *codd.* diribet *Sirmondus, utrumque contra metrum* fluit P *Daniel Sirm.*

60 *Verg. Ecl. I, 16* si mens non laeva fuisset 61 *Ov. Rem. Am. 172* Sauciet ut duram vomer aduncus humum *Ov. Met. I, 101* nec ullis Saucia vomeribus *Ov. A. Am. I, 474* vomer aduncus, *cf. ibid. v. 725* 69 *Prud. peri steph. 14, 128* cunctiparens tria lustra] *Cf. II Reg. 20, 6* 71 Edocet] *Cf. II Reg. 18, 6* 71 *Ov. Amor. I, 15, 5* verbosas leges ediscere 73 *Cf. II Reg. 18, 4* 74 *Cf. IV Mos. 21, 8.9* 76 *Verg. Aen. III, 138 s.* miserandaque venit Arboribusque satisque lues 79 *Cf. II Reg. 23, 3. 4* 83 *Verg. Aen. IV, 137* Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo; *Ov. Met. V, 51* Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat Aureus 84 *Verg. Georg. II, 85* Nec pingues unam in faciem nascuntur olivae, *ibid. 424* Hoc pinguem et placitam Paci nutritor olivam *Ov. Met. X, 176* suco pinguis olivi *Verg. Ecl. V, 68* Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi 86 *Ov. Met. III, 225* Quosque referre mora est 87 *Verg. Ecl. IX, 51* Saepe ego longos Cantando puerum memini me condere soles *Georg. I, 316* Saepe ego — Omnia ventorum concurrere proelia vidi 88 *Ov. Rem. Am. 209* Vel quae piscis edax avido male devoret ore

Pars minor in rivis, maior in amne fluet.
Saepe ego dum pravos de talibus arguo rebus,
Hac sibi clam dicunt me quoque sorte parem.
Saepe etiam talis cum non sim, suspicor esse:
Cum mihi sint plures, hac lue liber ero.
Non potis est morbis laxarier omnibus aeger:
Saltim una e multis pestis abesse potest.

Praefectura mihi fuerat peragenda tributa
Resque actu grandes officiumque potens.
Nulli vi studiisque piis armisque secundus
Rex dedit hanc Carolus, primus ad omne bonum —
Cui parent' Walis, Rhodanus, Mosa, Rhenus et Henus,
Sequana, Wisurgis, Wardo, Garonna, Padus,
Rura, Mosella, Liger, Vulturnus, Matrona, Ledus,
Hister, Atax, Gabarus, Olitis, Albis, Arar —
Quo synodus clerum, populum lex stringeret alma
Duxque foret cunctis regula calle suo,
Ecclesiae sanctus matris quo cresceret ordo
Urbibus et validis mosque decorque pius,
Quas Arar et Wardo, Rhodanus quas alluit acer,
Elavris sive his connumerandus Atax,
Quasque Alpes Latio, Libya discriminat aequor
Quasque Pyrenaeus orbe ab, Hibere, tuo,
Seu quas Lugdunum Arcturo aut Aquilone revellit
Resque Aquitana tuis, pulchra Tolosa, locis.
Haeserat hac nobis Laidradus sorte sodalis,
Cederet ut magnus hoc relevante labor.

94 hac] hanc P M hinc *Daniel* ducunt P forte *Daniel* 95 tales quum P tales cum non sint *Sirm.* 97 artarier *codd.* 98 ex multis P *Daniel* 103 Rodanus *et* Renus *codd.* et Oenus *Sirm.* 104 uuisargis uuarda P 111 abluit P *Daniel* lazio libia *codd.* 114 mons *post* Pyrenaeus (pireneus P pyrineus L H pirineus M) *in libris positum iam Sirmondus recte omisit, utpote glossam vocis praecedentis, cuius prima syllaba Theodulfus correpta usus est Lucan. IV, 83 secutus* 115 seu qua M *Daniel* revellit] redit P reditur *Daniel*

95 *Plaut. Cas. II, 6, 42* ne a me memores malitiose de hac re factum aut suspices 97 *Verg. Aen. IX, 794 s.* nec tendere contra Ille quidem hoc cupiens potis est per tela virosque *XI, 148* At non Euandrum potis est vis ulla tenere 99 *Legationem intelligit quam Caroli regis mandato missus dominicus obierat in Gallia Narbonensi una cum Laidrado postmodum episcopo Lugdunensi. Quo nomine fines eiusdem provinciae iterque suum Lugduno Narbonem usque poetico more describit. Officii autem huius quam ampla fuerit potestas, declarant verba episcoporum ad Carolum Calvum in Verno palatio:* „Quaesumus, ut scelerum patratores et apostolicae disciplinae contemptores missis a latere vestro probatae fidei legatis absque respectu personarum et excaecationem *(sic)* munerum coerceantur.“ *Ab hac ergo legatione Theodulfo nata est occasio, ut de iudicum officio, quid potissimum cavere, quid praestare debeant, hoc carmine docendum existimaret. Sirmondus.* 103 *Verg. Aen. X. 176* Cui pecudum fibrae, caeli cui sidera parent Walis] *Sunt flumina* Waal, Rhone, Maas, Rhein, Inn, Seine, Weser, Gard, Garonne, Po, Roer, Mosel, Loire, Volturno, Marne, Lés *(non procul a Monte-Pessulano)*, Donau, Aude, le Gave *(in Bearnia)*, le Lot, Elbe, Saône *docente Duemmlero* 107 *Cf. v. 144* stringeret] *Claud. b. Get. 371* meo gens barbara nutu stringitur 111 *Ov. Rem. Am.* 651 Flumine perpetuo torrens solet acrior ire 112 Elavris] Allier *doc. Duemmlero* 114 Hibere] *Ebro flumen intellegit Duemmlerus, sed et de illius regionis incola potest cogitari* 116 *Ov. ex Ponto I. 2, 81* pulcherrima — Roma, *ib. 8, 33* pulchrae loca — urbis 117 *In Einhardi vita Caroli Magni inter eos episcopos, qui illius testamento subscripsere, nominatur una cum Theodulfo et Laidradus* haeserat] *Verg. Aen. X, 779 s.* Herculis Antoren comitem, qui missus ab Argis Haeserat Euandro 118 *Ov. A. Am. III, 56* e toto pectore cessit onus *Met. XV, 16* longum relevasse laborem

Noricus hunc genuit; hunc tu, Lugdune, futurum
    Pontificem speras relligionis ope.
Arte cluit sensuque viget, virtute redundat,
    Cui vita ad superam transitus ista manet.

Iam, Lugdune, tuis celsis post terga relictis
    Moenibus adgredimur, causa quod optat, iter.
Saxosa petimus constructam in valle Viennam,
    Quam scopuli inde artant, hinc premit amnis hians.
Inde Valentinis terris urbique iacenti,
    Rupee, nos dedimus, hinc, Morenate, tibi.
Post et Arausinas terras et Avennica rura
    Tangimus et fines, quos tenuere Getae.
Inde Nemausiacas sensim properamus ad arces,
    Quo spatiosa urbs est resque operosa satis.
Hinc Madalona habuit laevam, Sextatio dextram:
    Hic scabris podiis cingitur, illa mari.
Quis bene transitis Agaten mox parte sinistra
    Linquimus et nosmet tecta Beterris habent.
Mox sedes, Narbona, tuas urbemque decoram
    Tangimus, occurrit quo mihi laeta cohors,
Reliquiae Getici populi; simul Hespera turba
    Me consanguineo fit duce laeta sibi.
Inde revisentes te, Carcasona, Redasque
    Moenibus inferimus nos cito, Narbo, tuis.
Undique conveniunt populi clerique cetervae
    Et synodus clerum, lex regit alma forum.
Quis bene conpositis nos tandem opulenta recepit

122 iste *Daniel* 125 saxosam P *Daniel* 126 scopoli *codd.* 127 ubique P ibique *Daniel* 128 Rupe enos P *Daniel* Rupe nos M more nata P Morenata *Daniel* 129 Post. *om.* et *Daniel* 133 madolona P *Daniel* Magalona *corr. Bouquet (Recueil V, 415)* sextantio L *Sirm.* 135 agathen P *Daniel* 136 Liquimus L *Sirm.* 141 carcassona P *Daniel* 144 sinodus *codd., fere semper* clerum legit P clerum colligit alma suum *Daniel*

119 *Adonis Chron. (S. S. II, 320):* Porro Lugdunensem Leidradus, vir seculari dignitati intentissimus et honori rei publicae utilis, rexit ecclesiam. *Duemmlerus* Noricus] *Baioaria intellegenda est docente Duemmlero, cf. ep. Alcuini ad Arnonem a. 790 (nr. 18 p. 175 ed. Iaffé):* Saluta, obsecro, Laedredum consocium et amicum meum 123 *Ov. Met. X, 670* iuvenem post terga relinquit 124 *Ov. Fast. III, 92* factaque Telegoni moenia celsa manu 125 *Verg. Ecl. V, 84* Saxosas inter decurrunt flumina valles Viennam] Vienne 126 *Verg. Aen. I, 246* et pelago premit arva sonanti 127 Valentinis] Valence iacenti] *Verg. Aen. III, 689* Thapsumque iacentem 128 Rupes] Rochemore 129 Arausinas] Orange Avennica] Avignon 131 Nemausiacas] Nîmes 133 Madalona] Maguelone Sextatio] Soutancion 135 Agaten] Agde 136 Beterris] Béziers habent] *Verg. Aen. V, 733 s.* non me impia namque Tartara habent 137 Narbona] Narbonne 139 *Verg. Aen. I, 30* reliquias Danaum, *cf. ib. v. 598. III, 87; IV, 342* dulcesque meorum Reliquias *V, 787* Reliquias Troiae *VIII, 356* Reliquias veterumque vides monumenta virorum 139 Hespera] *Hispani intellegendi sunt, cf. Mabillon. Anal. vet. p. 378: Theodulfus ipse se ex Hispania ortum esse non obscure innuit in paraenesi ad iudices his versibus:* Mox-sibi. *Ubi Theodulfus consanguineos vocat Hesperiae populos in Septimania degentes, qui ex Hispania eo confluxerant. Duemmlerus. Sirmondus de Italis cogitaverat:* „videndum an referri eo queat, quod de Theodulfo ex chronicis quibusdam proditum supra *(Sirm. opp. ed. Ven. II, p. 665)* retulimus, illum ab Italia propter scientiae praerogativam qua pollebat a Carolo Magno abductum fuisse in Galliam." turba] *Verg. Aen. XI, 34* Troianaque turba 141 Carcasona] Carcasonne Redasque] *Olim oppidum inter Carcassonem et Narbonem, unde pagus Redensis, le Rasez. Bouquet Recueil V, 416.* 143 *Verg. Aen. V, 293* Undique conveniunt, *cf. ib. IX, 720.* 144 *Cf. v. 107* 145 Quis bene] *Cf. v. 135*

Urbs Arelas, cives quam statuere sui,
Urbs Arelas, aliis quae pluribus urbibus extat
Prima, gradu tamen est, Narbo, secunda tibi.
Quo synodo cleri, legum moderamine plebis
Pectora contudimus, iuris et artis ope.
Massilia Argolica nos cepit condita gente,
Arvum et Aquinae urbis sive, Cavelle, tuum.
Ast alias lustrare vetat per singula casus
(Quarum nos populus, quo sumus, omnis adit):
Aequoris insani fera quas vicinia laedunt,
Aëre corrupto et tabidus afflat odor,
Quasque levant colles aut vallis strangulat ima,
Quas fera pulsat hiemps, grando, pruina, nives.
Illic et dumis et acutae stramine cautis
Abruptisque cavis continuatur iter:
Ima tenent valles, tendunt ad nubila montes,
Praecipites amnes montis ab arce ruunt.

Magna catervatim nos contio saepe frequentat;
Aetas, quod dicat, sexus et omnis habet:
Parvulus, annosus, iuvenis, pater, innuba, caelebs
Maior, ephebus, anus, masque, marita, minor.
Quid moror? Instanter promittit munera plebes
Quodque cupit, factum, si dabit, esse putat.
Hoc animi murum tormento frangere certant,
Ariete quo tali mens male pulsa ruat.
Hic et crystallum et gemmas promittit Eoas,
Si faciam, alterius ut potiatur agris.
Iste gravi numero nummos fert divitis auri,

152 Aquinae *Daniel, Sirmondus,* Aquine *codd.* 155 laedit *Sirm.* 156 efflat *codd. et editt.* 159 stramine] tramite *Daniel* 164 quod] quos *Sirm.* 165 celebs L P H celeps M 171 cristallum *codd.*

146 Arelas] Arles statuere] *Verg. Aen. I, 573* Urbem quam statuo vestra est 149 *Cf. v. 107 et 144* 150 *Ov. A. Am. I, 12* Atque animos placida contudit arte feros 151 Massilia] Marseille Argolica] *a Phocaeis scilicet* 152 Aquinae] Aix Cavelle] Cavaillon 153 *Verg. Aen. I, 577* Libyae lustrare extrema iubebo 155 *Verg. Ecl. IX, 43* insani feriant sine litora fluctus, *cf. Georg. I, 481* Proluit insano contorquens vertice silvas Fluviorum rex Eridanus *Ov. Her. VII, 51* insana quid aequora possunt? vicinia laedunt] *Ov. Rem. Am. 621* vicinia laesit *Verg. Georg. IV, 290* Quaque pharetratae vicinia Persidis urget 156 *Verg. Aen. III, 137 s.* subito cum tabida membris Corrupto caeli tractu miserandaque venit Arboribus satisque lues et letifer annus afflat] *Ov. Met. III, 49* Hos necat adflata funesti tabe veneni 157 strangulat] *Cf. Stat. Silv. II, 2, 150* arca divitias strangulat 158 pulsat] *Ov. ex Ponto I, 7, 12* grandine pulset hiems fera hiemps] *Ov. Trist. I, 1, 42* Me mare, me venti, me fera iactat hiems 161 *Verg. Georg. IV, 321 s.* quae gurgitis huius Ima tenes 162 *Verg. Aen. XI, 673* Praecipites pariterque ruunt 163 *Verg. Georg. III, 556* Iamque catervatim dat stragem 167 *Ov. Met. XIII, 517; Verg. Aen. II, 102* Quidve moror? *ib. IV, 325; VI, 528; Ov. Fast. III, 249* Quid moror? *Ov. Met. XIII, 530* Quid moror interea crudelia vulnera lymphis Abluere? 169 animi murum] *Cf. Theod. fragm. de vitiis capitalibus v. 158 (poet. Lat. medii aevi ed. Duemmler. I p. 448)* certant] *Verg. Aen. II, 64* certantque illudere capto *ib. IV, 443* Eruere inter se certant *ib. VI, 178* caeloque educere certant *ib. IX, 518* pellere vallo Missilibus certant *ib. X, 130* certant defendere saxis 170 *Verg. Aen. XII, 704* imos pulsabant ariete muros 176 *Ov. A. Am. I, 202* Eoas Latio dux meus addat opes

Quos Arabum sermo sive character arat
Aut quos argento Latius stilus inprimit albo,
Si tamen adquirat praedia, rura, domos.
Clam nostrum quidam submissa voce ministrum
Evocat, ista sonat verba sonanda mihi:
«Est mihi vas aliquod signis insigne vetustis,
Cui pura et vena et non leve pondus inest;
Quo caelata patent scelerum vestigia Caci,
Tabo et stipitibus ora soluta virum,
Ferrati scopuli variae seu signa rapinae,
Humano et pecudum sanguine tinctus ager;
Quo furor Herculeus Vulcanidis ossa retundit,
Ille fero patrios ructat ab ore focos;
Quove genu stomachum seu calcibus ilia rumpit,
Fumifluum clava guttur et ora quatit;
Illic rupe cava videas procedere tauros
Et pavitare iterum post sua terga trahi.
Hoc in parte cava. Planus cui circulus ore est
Nec nimium latus, signa minuta gerens:
Perculit ut geminos infans Tirynthius angues,
Ordine sunt etiam gesta notata decem.
At pars exterior crebro usu rasa politur
Effigiesque perit adtenuata vetus,
Quo Alcides Calydonque amnis Nessusque biformis
Certant pro specie, Deianira, tua;
Inlita Nesseo feralis sanguine vestis
Cernitur et miseri fata pavenda Lichae;
Perdit et Antaeus dura inter brachia vitam,
Qui solito sterni more vetatur humo.
Hoc ego sum domino — dominum me forte vocabat —

174 caracter *codd.* 176 predia *codd.* domus P *Daniel* 183 ferrati *Sirm. Duemml.* ferrata *libri, Daniel* ceu M 184 tactus *codd. et editt.* 191 Hoc] hac *Daniel; an leg.* haec? 193 thirintius P tirintius *rell.* 197 calidonque *codd.* Calidorique *Daniel* diformis *Sirm.* 199 inclita P inclyta *Daniel* 200 facta P *Daniel* 201 anteus *codd.*

174 *Verg. Aen. VII, 417* Et frontem obscenam rugis arat 175 Latius *pro* Latino *Ov. Fast. I, 1* Latium digesta per annum *et multis aliis locis* 177 *Ov. Met. VII, 90* auxilium submissa voce rogavit *id. ex Ponto IV, 3, 42* Submissa fugiens voce clientis opem 178 *Consol. ad Liv. 446* verba ore forti sonare 179 *Verg. Ecl. II, 36* Est mihi disparibus septem conpacta cicutis Fistula signis] *Ov. ex Ponto II, 10* Nec repetunt oculi signa vetusta tui 181 *Verg. Ecl. IV, 13* si qua manent sceleris vestigia nostri *Verg. Aen. VIII, 700* saevit medio in certamine Mavors Caelatus ferro *Totius loci argumentum petitum est ex Verg. Aen. VIII, 192 ss., cf. ad v. 182 Verg. Aen. VIII, 196* foribusque affixa superbis Ora virum tristi pendebant pallida tabo; *ad v. 183 Verg. Aen. VIII, 225* ruptisque immane catenis Deiecit saxum, ferro quod et arte paterna Pendebat; *ad v. 184 Verg. Aen. VIII, 195* semperque recenti Caede tepebat humus; *ad v. 185 Verg. Aen. VIII, 228* Ecce furens animis aderat Tirynthius; *ad v. 186 Verg. Aen. VIII, 252* Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu) Evomit involvitque domum caligine caeca, *cf. v. 259* Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem Corripit; *ad v. 188 Verg. Aen. VIII, 254* glomeratque sub antro Fumiferam noctem, *cf. v. 260* et angit inhaerens Elisos oculos et siccum sanguine guttur 185 *Ov. Am. II. 9, 13* Quid iuvat in nudis hamata retundere tela Ossibus? 187 *Verg. Ecl. VII, 26* rumpantur ut ilia Codro; *Prud. Psychom. 596* calcibus instans . . . ilia rumpit anhela 188 *Verg. Aen. V, 199 s.* tum creber anhelitus artus Aridaque ora quatit 193 *Ov. A. Am. I, 187* Parvus erat manibusque duos Tirynthius angues Pressit, *cf. Verg. Aen. VIII, 228* Ecce furens animis aderat Tirynthius 195 *Verg. Ecl. VI, 17* Et gravis attrita pendebat cantharus ansa 197 *Ov. Met. IX, 121* Nesse biformis 199 Inlita] *Ov. Her. IX, 163* Inlita Nesseo misi tibi texta veneno, *cf. Ov. Met. IX, 153* imbutam Nesseo sanguine vestem feralis] *Cf. Ov. Met. IX, 213* feralia dona 200 Lichae] *Cf. Ov. Met. IX, 211 ss.* 202 *Ov. Met. XII, 255* Stravit humi 203 forte vocabat] *Verg. Aen. XII, 206* Ut sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat) —

Laturus, votis si favet ille meis.
Pars numerosa subest populi, matrum atque virorum,
Infantum, iuvenum, sexu ab utroque simul:
Quos pater et genetrix sub libertatis honore
Liquere: ex illo libera turba manent.
Quorum si chartas vitiem, vase ille vetusto,
His ego, tu donis mox potiere meis.»
Alter ait: «Mihi sunt vario fucata colore
Pallia, quae misit, ut puto, torvus Arabs,
Quo vitulus matrem sequitur, quo bucula taurum:
Concolor est vitulo bucula bosque bovi.
Splendorem spectes iunctamque coloribus artem,
Utque rotis magnis iuncta sit arte minor!
Est mihi cum quodam de armentis quaestio pulchris,
Pro quibus ista paro congrua dona dare:
Pro vitulis vitulum, pro tauris offero taurum,
Pro vacca vaccam, pro bove dono bovem.»
Pocula promittit quidam se pulchra daturum,
Si modo, quae poscit non sibi danda, darem:
«Interiusque aurum, exterius nigredo decorat,
Cum color argenti sulphure tactus abit.»
«Quis bene fulcra nitent, et pulchra toreumata, pannos,»
Alter ait, «dabimus, quae rogo, si dederis:
Vitibus atque oleis, herbis ornatus et hortis
Inriguus patris est morte relictus ager;
Inde mihi partes fratresque sororque requirunt:
Consorte hunc nullo solus habere velim.
Voti compos ero, tibi si mea vota placebunt:
Quae do, si capias, quae rogo, rite dabis.»
Subripere ille lares socii cupit, iste novales:
Ambo aliena quidem: hic tenet, ille cupit.
Alter, ut adquirat; ne perdat, aduritur alter:
Iste ensem et galeam, hic dare scuta parat.
Res patris unus habet frater, cupit alter habere,
Et dare vult mulos alter et alter equos.
Haec pars dives opum; pars instat cetera plebis:
Quod quaerant, omnes, quodque querantur, habent.

209 cartes M cartas *cett.* vities *Daniel* illo P *Daniel,* ille *corr.* lo L 211 agit P 214 est *om.* P et M *Daniel* 215 *Post vel ante hunc versum lacuna statuenda esse videtur aliquot versuum, ut v. 216 habeat, quo referatur* 223 Interius P *Daniel* Interiusque (e *post. cum virgula)* L M decorat *contra metrum; an* decora? 224 Concolor P 231 composcere P compos ero *primus Daniel* 233 lares] labores P 240 Quod] Quo P Quot L M

209 *Dig. L, 17, 94* scripturas vitiare 211 *Verg. Aen. I, 71* Sunt mihi bis septem praestanti corpore Nymphae *Verg. Georg. IV, 335* hyali saturo fucata colore 213 *Ov. Fast. IV, 103* Deposita sequitur taurus feritate iuvencam *Verg. Georg. I, 39* Nec repetita sequi curet Proserpina matrem 214 *Verg. Aen. VIII, 82* Candida per silvam cum fetu concolor albo Procubuit — sus 224 *Ov. A. Am. I, 551* Et color et Theseus et vox abiere puellae 225 *Verg. Aen. VI, 603* lucent genialibus altis Aurea fulcra toris 231 *Ov. A. Am. I, 486* et voti postmodo compos eris 239 dives opum] *Cf. ad v. 30* instat] *Verg. Aen. X, 433* hinc Pallas instat et urget

Sed nec eis deerat dandi, tamen apta, voluntas:
  Diversis unus viribus usus erat.
Magna ut maiores, sic promunt parva minores,
  Dum fore, quae cupiunt, hac sibi sorte putant.
Iste tuo dictas de nomine, Corduba, pelles,
  Hic niveas, alter protrahit inde rubras.
Linea, qui potis est, qui non, fert lanea dona,
  Tegmen et hic capitis, hic pedis, ille manus.
Quo facies humore levi palmasque solemus
  Tergere, quis dandum textile munus habet.
Scrinia danda parant alii, nec defuit ille,
  Cereolas rotulas qui dare vellet ovans.

Singula quis referat? Fidebant munere cuncti
  Nec se quis quiddam, ni det, habere putant.
O scelerata lues partes diffusa per omnes!
  O scelus, o furor, o res truculenta nimis!
Quae sibi captivum totum male vindicat orbem,
  Nec deest, qui det, nec, qui male capta ferat.
Flectere sic properant me: nec tamen esse putarent
  Talem, ni talis ante fuisset ibi:
Nemo in aquis apros, in silvis squamea dona
  Inque rogos undis, in face quaerit aquas.
Tura Sabaeus ager, Gangetis eburnea monstra,
  Gryphes et Hyrcanus, balsama Syrus habet.
Singula lege sua, assiduo quaeruntur et usu
  Et fore mortales, quod fuit ante, putant.

At sua cum cernunt verborum spicula frangi
  Et nil promissi tela valere sui,
Meque velut fortem post proelia firmiter urbem
  Stare atque arte sua non potuisse capi,

241 deerat *om.* M 244 hec *cum* e *caud.* P 245 cordoba *codd.* 246 Hinc *Daniel* 250 quis damnum P 252 Caereolas L *Duemml.* Caereolos M rotulos P *Daniel* 254 putat *Daniel* 258 mala capta M 261 dona] *an* colla? *Sedul. c. Pasch. I, 117 de dracone* linguisque trisulcis Squamea colla tumens 263 sabeus *codd.* 264 Grippes *codd.* 269 prelia *codd.*

244 hac sorte] *Cf. v. 94* 245 *Verg. Aen. I, 277* Romanosque suo de nomine dicet, *cf. Aen. IX, 386* Albae de nomine dicti Albani 248 *Verg. Aen. VII, 689* Tegmen habent capiti 250 *Verg. Aen. III, 485* Textilibusque onerat donis 251 *Verg. Aen. VII, 678* Nec Praenestinae fundator defuit urbis 253 *Ov. Am. I, 5, 23. Trist. III, 7, 43* Singula quid referam? 255 *Ov. A. Am. III, 9* Parcite paucarum diffundere crimen in omnes, *cf. Met. IX, 161 s.* Incaluit vis illa mali resolutaque flammis Herculeos abiit late diffusa per artus 256 *Verg. Georg. II, 40* O decus, o famae merito pars maxima nostrae, *cf. Aen. II, 241* O patria, o divum domus Ilium 259 *Verg. Aen. VII, 312* Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo, *cf. Aen. VIII, 384* Te potuit lacrimis Tithonia flectere coniunx; *Aen. XII, 938* Et iam iamque magis cunctantem flectere sermo Coeperat 261 *Verg. Ecl. I, 59* Ante leves ergo pascentur in aethere cervi Et freta destituent nudos in litore pisces; *cf. Hor. carm. I, 2, 9 s.* 263 *Verg. Georg. I, 56 s.* Nonne vides croceos ut Tmolus odores India mittit ebur, molles sua tura Sabaei, At Chalybes nudi ferrum virosaque Pontus Castorea, Eliadum palmas Epirus equarum? Continuo has leges aeternaque foedera certis Imposuit natura locis, *cf. Georg. II, 116 s.* Sola India nigrum Fert ebenum, solis est turea virga Sabaeis Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsamaque? *Ov. ex. Ponto IV, 15, 7 s.* Quae (sc. merita) numero tot sunt, quot in horto fertilis arvi Punica sub lento cortice grana rubent, Africa quot Syrtes, quot Tmolia terra racemos, Quot Sicyon bacas, quot parit Hybla favos *Dracont. Hexaëm. 190* India .... eburnea monstra minatur 264 *Cf. Isid. Origg. XII, 2, 7, 17. Duemmlerus* 268 *Ov. ex Ponto IV, 6, 36* linguae tela subire tuae 270 stare] *Ov. Trist. III, 11, 23* Subruere est arces et stantia moenia virtus

Rem mox quisque suam quaerit, sua quisque recepit
Jura nec insidiis meque suosque premunt.
Sic quicumque videns aditum, quo saepe solebat
Furari, obstrusum, spe sine transit iter.
Sed ne actus nostros discretio linqueret alma
Resve putarentur hae simulanter agi,
Neve forem multis novitate notabilis ipsa
Horreretque bonum proximitate mali,
Spernere contempsi, quae dat concordia princeps,
Quae, ut societ mentes, datque capitque libens,
Et commune facit, cuius bene postulat usus,
Multaque cum habeat, nil docet esse suum.
Haec ego pertractans sumebam parva libenter,
Quae non saeva manus, cara sed illa dabat:
Scilicet arboreos fructus hortique virentis,
Ova, merum, panes cornipedumque cibos.
Sumpsimus et teneros pullos modicasque volucres,
Corpora sunt quarum parva, sed apta cibis.
O felix omnis virtus, discretio si quam,
Virtutum nutrix, temperat, ornat, alit!

Quae errabunda meos paulo est digressa per actus,
Ad coeptum redeat nostra Camena melos!
Aequa tibi iustae sint, iudex, pondera librae,
Ut sua quisque libens hac tribuente ferat,
Nec sit avara lues nec amor zelusque timorque,
Quae turbent: firmus stet tibi mentis apex.
Pro dolor! His rebus pietas cito pellitur aequi,
Eius et invadunt frausque dolusque locum.
Quattuor hae sontes, tribus est iam sontior una,
Quae est radix cunctis — dira cupido — malis.
Muneris invalidas acceptio vertere mentes
Adsolet a vero iusque fugare pium.
Non solum argento res haec inolescit et auro

271 querens P quaerens *Daniel* 272 *an* meque meosque? *Cf. v. 177* 279 concordia pacis P *Daniel* 280 sotiat P 282 *an* cum ipsa habeat? 283 Hanc L M 299 nam sontior *codd. et editt.* 302 Adsolet, a vero iusque *etc. interp. Daniel*

273 saepe solebat] *Verg. Georg. II, 185* Qualem saepe cava montis convalle solemus Despicere 274 *Ov. Met. IV, 69 s.* Et vocis fecistis iter, tutaeque per illud Murmure blanditiae minimo transire solebant 278 *Ov. A. Am. II, 662* Et lateat vitium proximitate boni 281 *Ov. Met. XIII, 215* mittor, quo postulat usus 283 *Verg. Aen. IX, 322* Haec ego vasta dabo 284 *Consol. ad Liv. 274* saevae manus cara manus] *Ov. A. Am. III, 742* cara lumina conde manu 285 *Cf. Ov. A. Am. II, 261 ss.* Nec dominam iubeo pretioso munere dones: Parva, sed e parvis callidus apta dato. Dum bene dives ager, dum rami pondere nutant, Adferat in calatho rustica dona puer. Rure suburbano poteris tibi dicere missa, Illa vel in sacra sint licet empta via. Adferat aut uvas aut quas Amaryllis amabat — At nisi castaneas non amat illa — nuces. Quin etiam turdoque licet missaque columba Te memorem dominae testificere tuae arboreos] *Verg. Georg. I, 55 Ov. Met. IV, 125* Arborei fetus 286 *Verg. Aen. VI, 591* cornipedum pulsu simularet equorum 289 *Verg. Aen. III, 321* O felix una ante alias Priameia virgo, *cf. ibid. 480* Vade, ait, o felix nati pietate 293 *Levit. 19, 36* 300 *Verg. Georg. I, 37* Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido; *Aen. VI, 373* Unde haec, a Palinure, tibi tam dira cupido? *ib. 721* Quae lucis miseris tam dira cupido? *ib. IX, 184* An sua cuique deus fit dira cupido? 301 *Cf. Commod. c. apol. 595—599 ed. Ludw.* 302 *Ov. Fast. I, 249* Nondum Iustitiam facinus mortale fugarat

Praepetis aut campos ungue cavantis equi,
Murice vel rutilo, gemmis, aut syrmate pulchro
Aut rebus variis, quas vola ferre solet,
Sed levibus verbis paribusque volantibus auris,
Blanditiae vento, mens quibus acta tumet.
Vestis honos color est, marsupia pondere gaudent:
In tenues ventos aura favoris abit.
Scilicet his saltim terreni gloria lucri,
Illis e contra nil nisi ventus inest.

Iudicis ingenium cito turbat munere dives:
Hoc quia ferre nequit, it tremebundus inops.
Hic magis, ille magis spondent se saepe daturos:
Hic tamen adquiret, qui potiora dabit.
Est, quem nec testes nec lex nec chartula fulcit
Sicque forum cunctis his spoliatus adit:
Omnia fert secum, si, cum libet, «accipe» dicit,
Omnibus est fretus, si dare plura queat.
Parcite, censores, huic succensere labori,
Tollere qui crimen, non adhibere parat.
Non ego quorundam diffundo crimen in omnes:
Cuique sit ex merito lausve pudorve suo.
Heu, scelus est, ullis pro rebus linquere verum,
Vendere seu, gratis quod dare quemque decet!
Nolo dolo reri vel acerba fraude carere,
Etsi pro iusto munera iure feras.
Arbiter est aequum: est et iniquum vendere certans.
Nam scelus hic unum, perpetrat ille duo:
Hic, quia ius vendit, quod debet dedere gratis,
Ille, quia id temnit, sed tamen inde capit.
Qui fera iudicio pro recto praemia quaerit,
Ille tuum peragit, fraus inimica, nefas,
Qui, dare quae debet gratis, pia munia iuris
Indigni pretii pensat avarus ope.
Te si forte furor pervasit pestis avarae,

304 prepretis P prepretis *cett.* 305 seu rutilo P *Daniel* 307 *an* pariterque? 308 Blandicie P *an* Blanditiis? *Duemmlerus* 315 sese daturos P sese esse daturos *Daniel* 317 cartula *codd.* 318 spoliatus habit P 324 pudore *Sirm.* 327 acerua M *Daniel* 330 Nam] *an leg.* Jam? 331 reddere gratis *Daniel* 332 tempnit *codd.* 334 duum P *Daniel* 336 Indigno P precium P 337 auare M P

304 *Verg. Georg. III, 87* cavatque Tellurem et solido graviter sonat ungula cornu *Ov. ex Ponto IV, 8, 80* Ungula Gorgonei quam cava fecit equi 305 *Verg. Ecl. IV, 43* rubenti Murice 308 *Ov. Fast. II, 776* a vento qui fuit unda tumet, *cf. ex Ponto II, 8, 27* Ut fera nimboso tumuerunt aequora vento 309 *Verg. Aen. VII, 631* Vomeris huc et falcis honos, huc omnis aratri Cessit amor 310 *Ov. A. Am. II, 86* Nec tenues ventos brachia mota tenent 319 *Verg. Ecl. IX, 51* Omnia fert aetas *Ov. A. Am. II, 168* Secum habet ingenium, qui, cum libet „accipe" dicit 321 *Cf. ad. v. 323* 323 *Ov. A. Am. III, 9* Parcite paucarum diffundere crimen in omnes Non ego] *Ov. A. Am. II, 161* Non ego divitibus venio praeceptor amandi; *Verg. Ecl. I, 75* Non ego vos posthac..... pendere..... videbo; *Georg. II, 43* Non ego cuncta meis amplecti versibus opto 324 *Ov. A. Am. III, 10* Spectetur meritis quaeque puella suis 325 *Ov. A. Am. III, 551* A doctis pretium scelus est sperare poetis 328 *Ov. Am. II, 13, 24* Ipse feram ante tuos munera vota pedes 336 *Ov. Fast. II, 420* lactis aluntur ope

Stet ratio et docili sic tibi voce canat:
«Cerne, quod Altithronus temet speculetur ab alto,
Quaeque facis, summa singula mente notet:
Qui iudex testisque simul vindexque malorum est,
Qui dare digna bonis scit mala sive malis.»
Si tamen e contra: «Cape munus» personet illa,
«Quod modo des sociis: postmodo temne capi,»
Huic victrix ratio contra stans: «Inproba», dicat,
«Pestis, abi» et totam se tibi reddat, agens:
«Non sitis haec explenda tibi est, qua fervidus ardes:
Quo magis hac biberis, hinc tibi maior erit.
Aestuat inde magis, quo plus ligna accipit ignis:
Sic et habere cupit, quo mage quisquis habet.
Sanguine fit maior congesto semper hirudo
Et magis inde sitit, quo magis illa bibit.
Ergo studeto, precor, furiosum pellere morbum:
Me medicante fero vulnere sanus eris.»
Illius alma manus cum te sanaverit aegrum,
In te haec regnet: eat pestis acerba procul.

Cum te causarum vocat ad fora turbida clangor
Estque ministerii res peragenda tui,
Principio loca sancta libens adeunda require:
Quae pete, dumque petis, fer pia vota Deo
Et supplex exposce, tuos ut dirigat actus
Nec sinat ulla geri, ni placitura sibi.
Nam modus est cunctis servandus in actibus iste,
Cum res quaelibet est incipienda tibi:
Ius regnumque Dei censemur quaerere primum,
Omnia ut hac nobis adiciantur ope.
Marmore si tali iacias fundamina prima,
Firmius omne pium hinc bene surgit opus.
O semel, o quater, o numeri sine lege beatum,
Quod tibi, Christe, lapis inclyte, adhaeret opus!

339 altitronus *codd. semper* 344 des] det *Daniel*, de L 345 Huic] Cui *codd. et editt.* 346 totum *Daniel; an* totum te? 348 magis hec P 349 Estuat *codd.* 350 *an* Sic mage habere? 351 yrudo P irudo *cett.* 353 studete P 356 acerua P M *Daniel* 363 iste *om.* P 370 adheret *codd.*

340 *Ov. Met. XIII, 787* procul auribus hausi Talia dicta meis auditaque mente notavi, *cf. Fast. V, 10* silent aliae dictaque mente notant 339 *Ov. Met. IV, 786* quas terras sub se vidisset ab alto; *ib. IX, 177* et hanc pestem specta, crudelis, ab alto; *Verg. Aen. IV, 661* Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus 347 *Ov. Trist. III, 11, 57* Utque sitim nostro possis explere cruore 349 *Verg. Georg. IV, 263* Aestuat ut clausis rapidus fornacibus ignis 351 *Hor. A. P. 476* plena cruoris hirudo 360 *Ov. Am. II, 6, 43* Quid referam timidae pro te pia vota puellae? 363 *Verg. Aen. X, 502* Et servare modum 365 *Ev. Matth. VI, 33* Quaerite ante primum regnum Dei et iustitiam eius et omnia haec adicientur vobis; *cf. Luc. XII, 31* 367 *Ov. Fast. IV, 835* Augurio laeti iaciunt fundamina cives; *Verg. Georg. IV, 161* Prima favis ponunt fundamina 368 *Ov. Fast. IV, 830* Auspicibus vobis hoc mihi surgat opus 369 *Ov. A. Am. II, 447* O quater et, quotiens numero conprendere non est, Felicem, de quo laesa puella dolet; *Trist. III, 12, 25* O quater, o quotiens non est numerare beatum, Non interdicta cui licet Urbe frui; *Verg. Aen. I, 94* o terque quaterque beati 370 *Cf. Act. Ap. IV, 11; I Petr. 2, 6—8*

Mox de more fori celer appete claustra sonori,
Quo te fors spectat litigiosa cohors,
Dum redis isque. Sonet si verba precantia pauper,
Qui se post dicat non tibi posse loqui,
Cum populo stipatus eas foribusve superbis,
Plebe inhiante foris, ipse receptus eris, —
Te prope fidus eat iustusque piusque minister,
Quo duce post tibimet pauper adesse queat.
Cui dicas: «Hominem conspectibus addito nostris,
Magna querellosis qui dabat orsa sonis.»
Et residens eius primum bene discute causam:
Ordine post currant singula quaeque suo.

Ad fora fors quaeris veniendi tempus et horam?
Accipe consilium: «mane venito», meum.
Perque diem totum non te labor iste gravabit:
Hinc seges est maior, quo mage quisquis arat.
Qui, legem ut caperet, ieiunia magna peregit,
Fertur in hoc actu continuasse dies.
Vidi ego censores ad iuris munia tardos,
Munera — nam fateor — ad capienda citos.
Hora adsunt quinta, norunt discedere nona:
Tertia si adducat, sexta reducit eos.
Nam dare si debent, nona; si prendere, prima
Adsunt estque citus, qui modo serus erat.
Sic, sua dum sonipes frenarier ora lupatis
Senserit, exiliet: pabula sponte petet.
Laedere qui semper, numquam prodesse paratur,
Sat cito, cum numquam debeat, ille venit.

Crapula vitetur semper, plus tempore eodem,
Quo pia iustitiae lora regenda manent.

372 foris P fers *Daniel*, *cf. v. 383* 375 foribusque M 376 receptus erit *Daniel* *post* receptus eris *plene interpunxit Duemmlerus* 386 est *om.* P 391 et norunt adiscere P 393 Nam] *an* Iam? 397 paratus L *Sirm.* 398 Statuto qui P

371 *Ov. Trist. III, 12, 18* verbosi garrula bella fori 372 *Ov. Rem. Am. 670*, *cf. Fast. IV, 188* fora litigiosa 373 *Ov. Met. II, 409* Dum redit itque frequens, *cf. Verg. Aen. VI, 122* Itque reditque viam totiens verba precantia] *Ov. Met. VI, 164* Turaque dant sanctis et verba precantia flammis. *cf. ex Ponto IV, 9, 111* His ego do totiens cum ture precantia verba *Consol. ad Liv. 446* verba sonare 375 *Verg. Aen. IV, 544* omnique manu stipata meorum; *Ov. Met. III, 186* comitum turba est stipata suarum foribus superbis] *Verg. Georg. II, 460* foribus domus alta superbis, *cf. Aen. VIII, 196* foribusque affixa superbis 376 *Verg. Aen. VII, 813* Turbaque miratur matrum . . . Attonitis inhians animis 382 *Ov. Met. II, 168* nec quo prius ordine currunt 383 *Pseudoovid. ep. Sapph. ad Phaonem 5* Forsitan et, quare mea sint alterna, requiras 384 *Ov. Rem. 292* Accipe, consilium quod sit in urbe meum 385 *Verg. Aen. II, 708* nec me labor iste gravabit 388 *Ov. Fast. II, 53 s.* Postmodo creduntur spatio distantia longo Tempora bis quini continuasse viri 389 *Ov. Am. II, 2, 47* Vidi ego compedibus liventia crura gerentem; *ib. II, 12, 25* Vidi ego pro nivea pugnantes coniuge tauros *etc.* 395 *Prud. Psych. 190* sonipes . . . Inpatiens madidis frenarier ora lupatis, *cf. Ov. Am. I, 2, 15* Asper equus duris contunditur ora lupatis 400 *Verg. Aen. XII, 622* currumque et equos et lora regebat

Nam qui se nimiis epulis somnoque sepelit,
Corporis atque animae vim sibi demit hebes.
Cum venit ad causas nudatus acumine sensus,
Marcidus et segnis et sine mente sedet.
Dum sit in ambiguo causae sollertia habenda
Quaestio et alterna sit vice versa diu,
Ille piger, madidus, ructans, temulentus, anhelus
Oscitat et marcet, nauseat, angit, hebet,
Et modo iuncturas dicit, modo viscus inesse
Et modo tota simul membra gravata sibi.
Inficit hunc primum somnus, post vina dapesque:
Proximus est illi luxuriare labor.
Ergo caveto cibos nimios, carchesia Bacchi,
Somnos: haec mentem singula saepe premunt.
Haec ut parva fovent stomachum, sic plura gravabunt:
Multa aqua farra necat, cum mediocris alat.
Ebrius a populo furtim ridebere cuncto:
Innuit hic illi moxque notatus eris.
Sobrius ora movens a plebe verebere cuncta
Certatim et facient, quae facienda dabis.

Quos pia conmendat probitas, quos actio iusta,
Introduc, proprio nomine quemque vocans.
Hi tecum ingenti cura tractentque legantque
Vestigentque viam, quae ad meliora vocat.

Ianitor interea turbam conpescat hiantem,
Ne ruat interius plebs sine lege furens
Neve querellifero densentur tecta tumultu:
Qui minus auditur, quo magis ille boat.
Praemia ne quaerat, moneatur ianitor ipse,
Saepe capi a populo quae veniente solent.
Est scelus, a populo pretium sperare querenti:
Me miserum! Scelus hoc ianitor omnis amat.

407 anelus *codd.* 408 emarcet *Sirm.* et *post* oscitat *om.* P nausia tangit P angit] *an* alget 410 grauata simul, *corr.* sibi P simul *Daniel* 412 luxoriare *codd.* 417 Hebrius *vel* Haebrius *codd.* 422 quenque uocas P quemque voca *Daniel* 425 capessat P 428 Qui] *An leg.* Quo = ubi? 429 moueatur P

401 *Verg. Aen. II,* 265 somno vinoque sepultam, *cf. ibid. IX, 188* somno vinoque sepulti; *Aen. III, 630* Nam simul expletus dapibus vinoque sepultus; *Ov. Rem. Am. 806* Et stupeant multo corda sepulta mero 406 *Ov. ex Ponto IV, 2, 6* Ire per alternas officiosa vices 410 *Ov. Her. XI, 88* Aegraque furtivum membra gravabat onus 412 *Ov. A. Am. I, 87* Proximus huic labor est placitam exorare puellam *Ov. A. Am. II, 437* Luxuriant animi rebus plerumque secundis 418 *Verg. Georg. IV, 380* cape Maeonii carchesia Bacchi, *cf. ib. Aen. V, 77* Hic duo rite mero libans carchesia Baccho; *Ov. Met. VII, 246* Tum super invergens liquidi carchesia mellis *etc.* 419 *Ov. Met. XV, 143* Et quoniam deus ora movet, sequar ora moventem Rite deum verebere] *Afran. ap. Gell. XV, 13, 8* ubi malunt metui quam vereri se ab suis 424 *Ov. ex Ponto IV, 8, 69* Quod nisi te nomen tantum ad maiora vocasset 426 *Ov. Met. II, 204* Hac sine lege ruunt 431 *Ov. A. Am. III, 551 s.* A doctis pretium scelus est sperare poetis. Me miserum! Scelus hoc nulla puella timet, *cf. Met. VI, 84* Quod pretium speret pro tam furialibus ausis 432 *Ov. Am. I, 14, 51* Me miserum, *cf. Am. II, 5, 8; II, 11, 9; III, 2, 69; Met. I, 650, 652 etc.*

Ianitor omnis amat, non hoc tamen arbiter odit:
Vix de mille unus, qui horreat illud, erit.
Sunt variae vires, amor est tamen unus habendi,
Qui potius furor est quam vocitandus amor.
Haec nocitura lues totum circumvolat orbem,
Magnam hominum partem quae furiosa vorat.
Tabe fatigatur hac aetas omnis et ordo,
Virgo, puer, vetulus, sexus uterque simul.
Magna velut magni cupiunt, sic parvula parvi:
Musio mure facit, quod leo torvus ove.

Conpositis igitur cunctis per singula rebus
(Poscit et officii tempus et ordo tui),
Sedibus, ordinibus populi residente senatu,
Cum te susceptum sella curulis habet,
Hos circumspiciens adfare hinc talibus orsis
Sicque pio hos tecum mentis amore mone:
«Discite iustitiam, caelestia discite iussa,
Quae pater altithronus sanxit ab axe poli!
Hanc Deus, hanc vates, hanc leges, hanc quoque princeps
Percensent: haec vis pectora nostra regat!
Si nos illa regat, populos tunc rite regemus:
Mens bene cuncta regit, quam Deus ipse regit.»
His aliquantisper monitis verbisque morare
Gustumque egregium legis ab amne dabis.
At si forte levi ventosa Superbia nisu
Te petere affectet, te lacerare velit,
Torva oculos, horrenda manus, foedissima rictus
Vipereumque caput, corpus et omne tumens,
Mens tumefacta cui, levis actio, turgida vox est,
Cui cibus et potus atra venena manent,
Pro gressu saltus, pro plantis pinna volucris,
Remige quo labi quivit ab axe poli,
Et memor antiqui sceleris super aethera facti

439 fatigatus hec *(cum e caud.)* etas P fatigatur haec aetas *Daniel* 443 Cumpositis P 444 Poscit ut *Daniel Sirm.* ordo sui *Sirm.* 446 susceptum] *an* suspectum? 447 Hoc P M *Daniel* circumspeciens M circum species P circum spectes *Daniel* 453 tunc P *Daniel* nos L *Sirm.; om.* M 459 Curua P *Daniel* oculis L *Sirm.* manu *Sirm.* fedissima *codd.* rictu *Sirm.* 460 capit P 463 pro polantis P propalantis *Daniel* 465 *an* aethere?

433 *Cf. Ov. Am. I, 9, 1 s.* Militat omnis amans et habet sua castra Cupido: Attice, crede mihi, militat omnis amans 434 *Ov. ex Ponto II, 8, 11* Nec facile invenias multis in milibus unum 435 *Verg. Georg. IV, 177* amor urget habendi; *Aen. VIII, 327* amor successit habendi; *Ov. Fast. I, 195* amor, qui nunc est summus habendi; *Met. I, 131* amor sceleratus habendi; *A. Am. III, 541* nec amor nos tangit habendi 443 *Verg. Aen. VI, 888* per singula duxit; *ib. VIII, 618* oculos per singula volvit 448 *Ov. Met. X, 451* pio sacrata parentis amore 449 *Verg. Aen. VI, 620* Discite iustitiam moniti 450 *Cf. v. 464* 457 *Ov. Am. II, 16, 27* Neptuni ventosa potentia 458 *Ov. A. Am. II, 89* Non ego sidereas adfecto tangere sedes 459 *Ov. Met. V, 92* Ille tuens oculis immitem Phinea torvis 460 *Verg. Aen. VI, 280 s.* Discordia demens Vipereum crinem vittis innexa cruentis 462 *Verg. Georg. II, 129* ac membris agit atra venena; *cf. Ov. Met. II, 198* 463 *Ov. Trist. III, 8, 15* Ille potest pinnasque tibi currusque volucres Tradere 464 *Cf. Ov. A. Am. II, 45* Remigium volucrum disponit in ordine pinnas

Utens arte sua, qua petit ima Stygis,
Qua te « sublimem », qua « celsum » sibilet intus,
Plebibus ut misci dedecuisse putes:
« Ecce humilis plebis fieri pars una laboras,
Dum pius et clemens omnibus esse cupis!
Ordo gradusque tuus levat ad sublimia temet:
Cur te sponte premis, qui loca celsa tenes?
Nam si perspicias, non hic mediocriter erras,
Cum te degenerem simplicitate facis.
Cum tibi nemo queat obsistere, nemo reniti,
De capite in caudam cur, male sane, ruis? » —
Coeperit ut caecum sub pectore vivere vulnus
Aut, quod erit peius, iam fluitare foras,
Vis humilis statim exiliat, prudentia cuius
Sit collega piis viribus arma ferens:
Splendor in ore quibus, radiantes lumine vestes,
Vultus erit comis, singula pulchra satis.
Nobile par tantum horrendum insurgat in hostem
Et: « Procul hinc, pestis inproba, » dicat, « abi! »
« Inproba », dicat, « abi, sociis te Manibus adde,
Quorum sors sorte est adcumulata tua!
I, pete Cocytum, Phlegethontis mergere fundo,
Quo tuus inventor trux cruciandus erit,
Quique Dei tecum voluit conscendere sedem,
Sede pia tecum lapsus in ima iacet.
Quo rueret tecum, sine te quo scandere posset,
Dum firmamenti in sede minister erat?
Sarcina tu gravis es dignis, gestamen iniquis
Esque auriga malis, pondus inorme bonis.
Quos petis, infelix, quos laedere niteris aegre,
Non tua, sed Christi est bene turba sequax,
Aethere qui veniens patefecit ad aethera callem,
Quo via, clausa diu, nunc adaperta patet,
Qui de terrenis trahit ad caelestia semper,
Cum tu de superis semper ad ima trahas:
Ille locat proprios caelesti in sede sequaces,

467 Qua te .... qua te celsum P 468 Pedibus P *Daniel* 478 ut L feras P fluitare, feras *Daniel* 483 Nobile pos M Nobile per *Daniel* 484 hinc pestis procul M pestis hinc procul P pestis procul hinc *Daniel* 487 quocitum M P, *corr.* cocitum L flegitontis M flegi —, *corr.* flege — L flagitantis P 489 tecum *om.* P *Daniel* contendere P *Daniel* concedere M 492 minister] *Sic Wattenbachius* maneret L *Sirm.* manes et M P *Daniel* 493 tu *om.* P *Daniel* 494 origa, *corr.* go L enorme *Daniel* 499 ad cestia P

466 *Ov. Met. II, 265* Ima petunt pisces 467 *Verg. Aen. VII, 447* tot Erinys sibilat hydris 468 *Ov. Her. IX, 66* Incingi zona dedecuisse putes 472 *Ov. Fast. VI, 804* quae loca prima tenet 476 *Ov. Am. III, 7, 77* Quis te, male sane, iubebat 477 *Verg. Aen. IV. 2* Vulnus alit venis et caeco carpitur igni *Ov. Her. IV, 20* Urimur et caecum pectora vulnus habent 479 *Ov. A. Am. I, 115* Protinus exiliunt animum clamore fatentes 481 *Ov. Met. VI, 720* Vellera cum Minyis nitido radiantia villo 483 *Hor. Sat. II, 3, 243* par nobile fratrum 484 abi] *Cf. v. 345 s.* 485 *Ov. Met. VIII, 505* vel me fraternis adde sepulcris 487 *Verg. Aen. IV, 381* I sequere Italiam ventis, pete regna per undas *Consol. ad Liviam 410* mergi aqua Stygia 492 minister] i. e. Lucifer *adnot. Duemmlerus* 501 *Ov. Met. IV, 446* caelesti sede relicta; *ex Ponto III, 5, 53* caelesti sede receptum

Tartara tu mergis in metuenda tuos.»
His iaculis correpta lues, hac cuspide abacta
Cedat, ut abscedunt sole fugante nives.
Hinc fera vulnifici fugiant vestigia monstri,
Vulnus et hoste datum sanet amica manus.
Haec abigat ferroque hostem, medicamine morbum,
Eius et haec detur voce medella tibi:
«Aspice, ne vitiet tumidus praecordia fastus,
Dum loca sublimis editiora tenes,
Dumque favent populi, vallaris pluribus unus,
Undique te septum prosperitate putas;
Neve, quid es, demant oblivia segnia menti,
Ultima sit semper conspicienda dies.
Ut valeas omni vitiorum sorde carere,
Hoc, quod es, aspicito, non tamen id, quod habes.
Ipse licet sedeas gemmis ornatus et ostro,
Post carnis putridus tempora pulvis eris.
Corpus enim, fulvo quod nunc accingitur auro,
Serica quod vario palla colore tegit,
Squalenti squalens, olidum gelidumque putenti
Pro dolor! intectum veste premetur humo.
Quod mare, quod terra et quod aer gestat edendum,
Poclaque pulchra cui tu tribuenda paras,
Eheu! tabificae Putredinis ore vorandum est,
Eheu! sordidulus post cinis illud erit.
Et caro, quae musco redolenti et fragrat amomo
Quaeque peregrini tergore muris olet,
Nidorem labefacta dabit sanieque madebit,
Omne, quod offendat, nil, quod ametur, habens.
Quemque tegunt celsis laqueata palatia tectis
(Parvaque conquereris culmina, magna satis),
Clausus in angusta modicaque teneberis urna
Vixque domus tibimet corpore maior erit.

503 corrupta lues P *Daniel* hoc P L 504 abscondunt M abscedat P niues P (M. m. I) *Daniel Sirm.* nubes *cett. contra metrum* 506 sanat P 507 ferro hostenque P ferro hostemque L M *Daniel* ferro hostem, quae *Sirm.* 508 medulla M 510 aediora P aeditiora *cett.* 515 omne P 519 decingitur P *Daniel* 521 holidum *codd.* putenti] *an* putrenti? 523 terrae L M quod et aer L quod eter M terra quod aër *Daniel* terra quod et aër *Sirm.*; *an* terrae, quod et aer *propter metricas rationes?* 527 musca P et *om.* L, *superscr.* seu fragrat L *m. I Sirm.* flaglat L *m. II* flagrat *cett.* 528 helet *codd.* 529 Nitorem P 533 tenebris L P

504 *Verg. Aen. I, 143* Collectasque fugat nubes solemque reducit 506 *Ov. Trist. III, 3, 44* nec — Labentes oculos condet amica manus; *Her. X, 122* Nec positos artus unguet amica manus 512 *Verg. Aen. IX, 782* undique saeptus Aggeribus 517 *Verg. Aen. XI, 772* peregrina ferrugine clarus et ostro *Verg. Georg. III, 17* Tyrio conspectus in ostro; *Aen. IV, 134* ostroque insignis et auro; *Aen. V, 133* ostroque decori; *Aen. XI, 72* geminas vestes ostroque auroque rigentes; *Aen. XII, 126* Ductores auro volitant ostroque superbi 519 *Verg. Aen. XI, 776* fulvo in nodum collegerat auro *Ov. Met. X, 648* fulvo ramis crepitantibus auro; *ib. XI, 103* fulvum vertatur in aurum *etc.* accingitur] *Verg. Aen. VI, 184* paribusque accingitur armis 520 *Incerti auctoris Nux 31* Quaeque sibi vario distinguit poma colore 522 *Ov. Met. XV, 368* Pressus humo bellator equus 523 *Ov. ex Ponto I, 10, 9* Quod mare, quod tellus, appone quod educat aer; *Met. VIII, 830* quod pontus, quod terra, quod educat aer; *Met. I, 257* Quo mare, quo tellus 528 *Cf. Theodulfi carm. XXIX, v. 21 (p. 518 ed. Duemmler.)* Nec redolens, fragrat muris quae tergore, vestis 529 *Verg. Aen. XII, 301* Nidoremque ambusta dedit 531 *Verg. Aen. VIII, 25* summique ferit laquearia tecti 533 *Ov. Am. III, 9, 40* Vix manet e toto, parva quod urna capit; *Met. XII, 610 s.* et de tam magno restat Achille Nescio quid, parvam quod non bene compleat urnam

Quemque catervatim populus hinc inde frequentat
(Plebs parere parat ista vel illa tibi),
Postmodo solus eris habitator solius antri:
Causa videndi te quae nisi luctus erit?
Sed nec erunt socii, nisi qui tua viscera rodant,
Quis cibus est genetrix, qua sine vita brevis.
Mille greges redeant tibi quamquam armentaque mille
Finitimusque tuam nemo coartet humum,
Omnibus ipse carens inamati tegmina busti
Rebus, inops rerum, pauperiora petes.
Corpora sufficiunt nec ad unum plura vehendum
(Par color elegitur, corpus et omne decens):
Bis bina es cervice tamen tum forte vehendus,
Cum iam extremus erit et lacrimosus honor,
Ferreus et gelidos somnus dissolverit artus,
Cumque breve arripies non rediturus iter.
Plura quid enumerem? Visu quod cernitur aptum,
Visibus humanis quod favet atque placet,
Post vitam vermis, post vermem pulvis habebit,
Voce tonantis eri cum redit, unde venit.
Corporis haec lex est terrestri figmine creti:
Altera vis animae est, aether origo cui,
Carcere quae trusa est tandem generosa caduco,
Terrea quamque domus conprimit atque gravat.
Haec duo sic iunxit clemens elementa Creator,
Ut maneat vivus ac moribundus homo.
Juncta simul vitam, mortem rescissa ministrant:
Vivere, adesse sibi, his est et abesse, mori.
Dispare sed cursu repetunt terrestria terram,
Caelica nam sese reddit origo suis.
Ut caelis aer, tellus huic infima cedit,
Sic animae corpus debet ubique suae.
Heu, quantum scelus est animae praeponere corpus
Et rem mortalem, non moribunda, tibi!
Ancillam dominae, piperi praeferre cicutam,
Plumbum auro, gemmis sordida saxa bonis!
Praesideat menti Deus, haec quoque provida carni:
Haec vegetanti animae vivat et illa Deo,

535 frequentant M P *Daniel* 546 Pes P L *Dan.* Per M Par *Sirm.* celer eligitur *Dan.* 552 Usibus M, *quod adridet* 554 erit P *Dan. Sirm.* 558 Terre quanque P terrae quamque *Dan.* 559 iungit *Sirm.* 564 nam *om.* L M 572 uegetante (uegetante *cum postr.* e *caud.* M) *codd. et editt.* anima *codd. et edd.*

537 *Ov. Trist. I, 9, 6* Tempora si fuerint nubila, solus eris 539 *Ov. Ibis 458* Et tua dente fero viscera carpat equus 541 *Verg. Ecl. II, 21* Mille meae Siculis errant in montibus agnae 547 *Sedul. carm. Pasch. III, 89* Ecce aderant vivum portantes iamque cadaver Bis bina cervice viri 549 *Verg. Aen. XII, 309* ferreus urguet Somnus; *X, 745* Olli dura quies oculos et ferreus urguet Somnus *Ov. Met. IV, 247* gelidos radiorum viribus artus 551 *Ov. Met. I, 214 s.* Longa mora est, quantum noxae sit ubique repertum Enumerare 554 tonantis eri] *Cf. Theodulfi carm. nr. XXIX, v. 1 (p. 517 ed. Duemmler.)* 567 *Ov. Met. XV, 88* Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi

Ordine quo tali probus ad sublime traharis
Et tua mens fugiat infima, celsa petat.
Cumque erit illa dies, quae nil nisi corpora quassat,
Terra tegat corpus, spiritus astra petat.
Hanc statue ante oculos, hanc semper mente voluta,
Ut quidam quondam rex sapienter ait:
«Ultima nam tua sunt, careas peccamine ut atro,
Actibus in cunctis conmemoranda tibi.»
Nam tua si, quid eris, meditatio sedula tractet,
Raris aut nullis inficiere malis.
Haec si perpendas: «post mortem vita perennis,»
Parte eris et vives mox meliore tui,
Cumque gravis litui clangor concusserit orbem,
Prodierisque urna iam redivivus homo,
Sedibus et rursus dederit se mens tua priscis
Coetibus angelicis connumerandus eris.

*

Finierint, propria tu statim in mente tribunal
Jussa peracturus sponte parabis eis.
Conscendant sedeantque simul doceantque regantque
Omnem animi motum mentis ab arce tuae.
Hac ope munitus talique iuvamine fretus
Curret inoffenso pes tibi calle celer.

*

«I cito», fare, «puer, de pluribus elige quosdam,
Qui loca finitimis non propiora colunt
Proque suis causis istinc venere, vel illos,
Qui, quamquam prope sint, plebs tamen extat inops.»
Quis si mixtus erit proprius, ne proice cives:
Eius causa sonet, quilibet intus erit,
Ne, si proicias, rediens venientibus obstet
Atque sibi inpediant, dum hic it et ille redit.

576 alta petat P *Daniel* 581 Nam tua, si quid eris, meditatio *interp. Duemmlerus* quid eris *codd. et edd., cf. v. 513 et 516* 583 Haec si perpendas, post mortem vita perennis, *interp. Duemmlerus* 584 erit L M vives vex *Daniel* 588 *Post hunc versum lacunam indicavi* 591 regnentque docentque P regnent doceantque *Daniel* 593 fultus L 594 Curuat P currat L M *Daniel* *Post hunc versum lacunam indicavi* 596 propriora P propiora *Daniel Sirm.* 597 istinc] istic *codd. et edd.* illis P *Daniel* 598 quam prope P quamvis prope *Daniel Sirm.* 599 propriis, *corr.* us P proprios *Daniel* proprius, ne proice, civis *coni. Duemmlerus* 601 si *om.* P *Daniel* uenentibus P *Daniel*

575 *Cf. Ov. Met. XV, 873* Cum volet, illa dies, quae nil nisi corporis huius Ius habet, incerti spatium mihi finiat aevi: Parte tamen meliore mei super alta perennis Astra ferar 576 *Ov. Met. I, 316* Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus; *Fast. II, 496* rex patriis astra petebat equis 578 *Eccles. VII, 40* In omnibus operibus tuis memorare novissima tua et in aeternum non peccabis 584 *Ov. Met. XV, 875* Parte tamen meliore mei super alta perennis Astra ferar 594 *Ov. Trist. III, 4, 33* Nam pede inoffenso spatium decurrere vitae Dignus es; *Am. I, 6, 8* inoffensos dirigit ille pedes 595 *Ov. Met. III, 562* Ite citi (famulis hoc imperat) ite ducemque Attrahite huc vinctum! *Hor. sat. I, 10, 100* I puer atque meo citus haec subscribe libello 596 *Ov. Met. XIV, 681* Haec loca sola colit 602 dum hic it] *Cf. supra v. 373*

Discute cunctorum vigilanti indagine causas,
Quo finire queas ordine quamque suo.
Has bene disce prius; quantum has discere debes,
Job tibi in exemplum verba parantur; ait:
«Lumen eram caeco, gressus moderatio claudo,
Pauper et invento me patre tutus erat.
Quaerebam ignotae sollers sinuamina causae,
Quis poteram studiis, quo mihi nota foret.»

Nec cito festines ad causae tendere finem,
Nec lento aut nimium hanc pede volve piger,
Ne lentum torpor, celerem te nubilet error:
Inter utrumque malum pes tibi tutus eat.

Finge aliud, dum causa latet: mox causa patescet.
Ne male fallaris, tu bene falle prius.
Nex falsa infantis falsae mendacia matris
Propulit, et carum vera recepit onus.
Haec Salomoniacam res vexit ad ardua famam,
Fitque timor populis et via laudis ei.

Saepe suas semperque solent convolvere causas
Magni, cum propria re sine pauper eat.
Hos tibi tu socios in causis adde minorum,
Postpositisque suis te bene quisque iuvet.

Qui patre seu matre orbatur vel si qua marito,
Istorum causas sit tua cura sequi:
Horum causilocus, horum tutela maneto,
Pars haec te matrem, noverit illa virum.
Debilis, invalidus, puer, aeger, anusve senesve
Si veniant, fer opem his miserando piam.

603 Discite P *Daniel* 609 ignote *in ras.* P 612 uelle piger P *Daniel* 613 Nec P *Daniel Sirm.* 617 Nec fassa P 618 Protulit P *Daniel* 619 veuexit P sevexit *Daniel* 622 erat P 627 causas loquens, *corr.* causiloquus P causaloquus *Daniel* 628 Et pars hec *(cum. e caud.)* P *Daniel* (haec) te *om.* P M *Daniel* patrem L 629 senesue *codd.* senexque *Daniel, sed non opus, quia facili negotio et* anusve *pro numero plurali accipi potest*

603 Discute] *Cf. supra v. 381* 604 *Verg. Aen. XI, 240* et responsa reposcit Ordine cuncta suo 606 *Hiob XXIX, 15* Oculus fui caeco et pes claudo. 16 Pater eram pauperum et causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam in exemplum] *Ov. Met. VIII, 245* Traxit in exemplum 614 *Verg. Aen. III, 685* Inter utramque viam leti discrimine parvo 617 *III Reg. 3, 16* 620 *Ov. Met. II, 66* Fit timor 627 *Ov. Trist. V, 14, 15* rerum sola es tutela mearum

Fac, sedeat, qui stare nequit; qui surgere, prende;
Cui cor voxque tremit pesve manusve, iuva.

Deiectum verbis releva, sedato minacem;
Qui timet, huic vires; qui furit, adde metum.
Turbas et lites, multarum et proelia vocum
Acri perstringes voce sonoque gravi:
Anseribus raucis, cornicibus atque nigellis,
Quis, recinant omnes, mos solet esse, simul,
Ni taceant, inpone minas, tamen usque caveto,
Ad fera ne faciles sint tibi bella manus:
Corporis arx plano, ne recto pectora sunto
Pulsa tuo baculo tunc alicuius ibi.

Dispare convenient variae vi more catervae
— Hic nequit, ille valet; nolet hic, ille volet —,
Tu rege sollerti varios moderamine motus:
Quid cuique expediat, providus adde, loco.
Conprime, si velox; si tardior, argue tardum,
Ocior ut hic sit, tardior ille tamen.
Instrue, si stolidus; si callidus, adtrahe frena,
Hic sua ne perdat, hic ne aliena petat.

Tardilocum moderare libens nimiumque loquacem,
Conferat atque manus una duobus opem,
Ne sua, si tardus, reticendo negotia perdat

*

Amplius aut iusto neve aliena petat,
Vel ne verbosus ventosae turbine linguae
Obruat inceptam remque modumque rei,
Dumque sinis vacuis medias sermonibus horas
Ire, sine effectu resque diesque meent.

631 prendi M P 635 Turba ciet lites L P *Sirm.* prelia *codd.* 636 Aere P Acra M Aera L Acri *Daniel Sirm.* perstringet P L M perstringes *Daniel Sirm.* 638 Quis] Qui ut *codd. et edd.* mos molet L P mos volet *Daniel* 639 inponte L impone *Daniel Sirm.* inpono *Duemmlerus* 640 At *codd.* Ad *Daniel primus* bella] *Cf. Ov. A. Am. I, 592* verba *codd. et edd.* 643 comuenient P cum venient *Daniel, cf. v. 875* vario P *Daniel* vi more] humore *Daniel; an* si more? 644 nollet hic *Daniel* 646 Quid cuique *Duemmlerus* Quidque cui *codd. et edd.* 649 Intrue si callidus si stolidus adtrae P 651—654 *om.* P 652 duobus] duabus *Sirm. in textu, in marg.* fort. duobus 653 *Post hunc versum lacunam statui: agi debebat primo de tardo etiam, deinde de loquaci* 655 turbide P 657 sinis ait cuius M 658 affectu *codd.* effectu *Daniel primus*

635 *Ov. A. Am. II, 151* Este procul, lites et amarae proelia linguae 639, 640 *Ov. A. Am. I, 591 s.* Iurgia praecipue vino stimulata caveto Et nimium faciles ad fera bella manus, *cf. Fast. III, 586* Et iactant faciles ad sua verba manus 655 *Ov. Trist. III, 2, 26* Obruit infelix nulla procella caput 657 *Ov. Met. VIII, 641* Interea medias fallunt sermonibus horas

Est, sua quae nequeat explere negotia fando
Et male rem mutilet inscia lingua suam:
Ac veluti si quis tenso curvamine cornu,
Dum mavult hostem, seque suosque ferit,
Sic, nocitura alii dum promit famina talis,
Figitur, heu! iaculo mox miser ipse suo.
Huius remigium verbis tu praebe salubre:
Ne ruat, hunc retine; si ruit, ipse leva.

Cum perplexa forum resonabit causa per omne,
Lasset ut ambiguo teque tuosque suo,
Indic causidicis ab utraque silentia parte,
Ne ius perturbent, dum sua quisque boat,
Cumque viris paucis, omni reticente caterva,
Rem bene volve libens atque revolve diu,
Quatenus invento tandem sine crimine calle
Lis fera sedetur, ius sua cuique ferat.

Aspice praeterea, prope te quicumque sedebit,
Ne prece seu donis ius vitiare velit,
Cuius fors auris iam leni tacta susurro est,
Cui catus hinc quiddam innuit, inde vafer,
Hic oculis signum, manibus vel conferat ille
(Aut modus in hac re quilibet esse potest),
Hisque favere velit, sese tibi prodere nolit,
Fluctuet hinc anceps, dum cupit atque timet,
Haud aliter, quam cum meditatur adultera stuprum:
Hinc scelus affectat, inde flagella timet.
Saepe mali socii socium contagia laedunt,
Laeditur ut pecoris proximitate pecus.
Temne putare aequum, qui sese celat iniquum,
Ne te, dum nescis, ad sua probra trahat.

659 sua qua P *Daniel* sua qui M *Sirm.* 660 mutilat *codd. et edd.* nescia M 663 alii] sibi *codd. et edd.* femina L faemina *Sirm.* 666 hunc *om.* M hic L si ruat *Daniel* si ruit ipse, leva *interp. Duemmlerus* 668 tuosque L suosque P M *edd.* suo L M tuos P 678—680 *om.* P 680 hac in re *Sirm.* 681 Hisque favere velit . . . . | . . . . sese tibi prodere nolit *Daniel* 682 Fluctuat P *Daniel* quam cum] quanquam P 687 Tempne *codd.*

659 *Cf. Ov. Met. III, 649* Explet opus 660 *Ov. Her. XX, 2* Iuraret ne quos inscia lingua deos 662 *Ov. Met. X, 886* Seque ferit 664 *Ov. Fast. II, 187* Hanc puer ignarus iaculo fixisset acuto 677 *Verg. Ecl. I, 55* Saepe levi somnum suadebit inire susurro 682 *Verg. Aen. X, 680* Haec memorans animo nunc huc nunc fluctuat illuc *Verg. Aen. VI, 733* Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque 685 *Verg. Ecl. I, 50* Nec mala vicini pecoris contagia laedent *Ov. Rem. Am. 613 ss.* Siquis amas nec vis, facito contagia vites. Haec etiam pecori saepe nocere solent 686 *Ov. Met. X, 339* ipsaque damno Est mihi proximitas *Nucis auctor Ovidianus 55 s.* Quam miserum est, odium damnis accedere nostris Meque ream nimiae proximitatis agi

Sic se fur socium simulat, nociturus ut intret,
Sicque latent dulci mixta venena mero.

Esto et sollicitus propriae de parte iugalis,
Ne mentem maculet inliciendo tuam:
Oscula quae genibus, manibus colloque genisque
Blanda dabit, miscet lenia verba quibus,
Sueta preces tali proprias armare veneno,
Armat ut arcitenens inpigra tela suo.
Si tua mens fuerit munita casside forti,
Tela ut conspiciat hinc resilire sua,
Inde gemens rediet ficta et suspiria dando
Flensque suas pondus non habuisse preces.
Mox puer aut nutrix aut fors ancillula mendax:
«Cur dominae», dicet, «despicis orsa meae?»
Haec vultu verso tacito dabit ista susurro:
«Qui modo conspicitur, est mihi semper, honor,
Quaeque petunt aliae, referunt prosuntque nocentque;
Voti nullius ast ego compos eo.»
Illa roget demum, dicent, et ad oscula currat
Et tibi: «Cur pateris esse molestus ei?»
At tua mens pugnet redeunti obsistat et hosti,
Bellaque ne vincant te recidiva, time.
Neve mali quid agat teque id iussisse loquatur,
Sis vigil et, cura qua potes, usque cave.
Ignorante viro pridem regina peregit,
Insontem ut premeret saxea grando virum.

Nec minor in propriis cura est adhibenda ministris,
Quis comitatus ines sunt prope quique tibi,
Ne fera pestis eos, illi tua pectora laedant

689 intret *Dan. Sirm.* intrat *Duemmlerus* 696 Arma tutat arcitenens P 699 Inde mors rediet et P inde mox rediet ficta et *Daniel* 702 Quur *libri* despicis, *corr.* dispicis L 705 Que P 709 et] ut *codd. et edd.* 716 quisque P 717 illa P

690 *Ov. Am. I, 14, 44* Ipsa dabas capiti mixta venena tuo; *cf. Am. I, 8, 104* Impia sub dulci melle venena latent 693 *Ov. Am. III, 7, 55* Sed puto non blanda haec, non optima perdidit in me Oscula? 694 *Ov. Am. II, 1, 22* Mollierunt duras lenia verba fores; *ex Ponto I, 2, 70* Lenia pro misera fac modo verba fuga 695 *Verg. Aen. IX, 772* Ungere tela manu ferrumque armare veneno; *Aen. X, 140* calamos armare veneno 698 *Cf. supra v. 267 s.* resilire] *Ov. Met. XII, 475* Non secus haec (sarissa) resilit quam tecti a culmine grando 699 *Ov. Met. VI, 565* at ille Dat gemitus fictos 700 *Ov. A. Am. III, 806* Illa suas nolit pondus habere preces 701 *Ov. A. Am. II, 525* Forsitan et vultu mendax ancilla superbo Dicet: „quid nostras obsidet iste fores?" *Rem. Am. 687 ss.* Et soror et mater valeant et conscia nutrix Et quisquis dominae pars erit ulla tuae. Nec veniat servus nec flens ancillula fictum Suppliciter dominae nomine dicat „have" 702 Orsa] *Cf. supra v. 380* 703 susurro] *Cf. supra v. 677* 705 *Ov. Met. II, 519* quae prosum sola nocendo 706 *Cf. supra v. 231* 707 *Cf. Ov. Met. IX, 386* ad oscula nostra venite 714 *III Reg. 21, 10*

Et tua conmaculent intima tabe sua.
Qui ut capiant, capias; ut possint sumere, sumas,
Cogent, si poterunt: tu vigil esse stude.
Quaelibet e turba te res secedere coget:
Secedent alii, proximus unus erit.
Esse tibi propior quicumque videbitur illis,
Horum et consiliis haec tibi verba dabit:
«Ne, rogo, sperne preces mihi quantas ast ego vobis.
Me audacem pietas nam facit, ecce, tua.
Si faveas votis, est qui dare praemia quaerit:
Sunt bona, quae dantur; qui dat, et ipse bonus.
Illa vel illa tibi dare praeparat ille vel ille,
Quae sine peccati pondere habere vales.»
Addet, ut inliciat, vafer hic suasoria verba,
Cuius iam nummis est onerata manus.
Hunc hydrum, hunc cenchrin, hunc evitato cerasten:
Hic seps, hic dipsas, hic tibi praester erit.
Censor habere solet torvosque trucesque ministros,
Qui tamen et pius est et pietate viget:
Sic tibi, Scylla, ferunt, facies humana videtur,
Sed canibus horrent inguina saeva feris.

Res stat in ambiguo: perstat hic, denegat ille;
«Est» et «non» reboant, quae duo plura movent,
Semine de quorum humanas agitantia curas
Germina causarum seu seges ampla subit.
Quaerantur testes, ut causae nubila demant,
Et vero dubium qui subeunte fugent.
Horum tu sollers famamque genusque require,
Nomina seu mores et loca sive fidem.
Accipe si probus est; si reprobus, exime prorsus,
Poma ut acerba cibo reicis, ut apta capis.

720 poterint *Duemmlerus* 722 Secedant P *Daniel Sirm.* 723 proprior L P 724 *an* et *del.?* 725 quant M quanstas L ast ego] *an corr.* allego? vobis] *fort.* votis 731 Addit P *Daniel* 733 cecrin P cencri L cencrin M cerastem P *Daniel* 734 Hiceps M P 736 Qui pius tamen est P 737 scilla *codd.* humane P 739 Restat P prestat M P praestat *Daniel* 742 seu *codd.* ceu *coni. Wattenbachius* 745 sollens P 748 acerua M *Daniel* accerua P acerua, *corr.* — ba L et apta *Daniel*; *fort. leg.* at apta

724 *Ov. Am. II, 2, 58* et sibi verba dabit 726 *Ov. Met. IV, 96* Audacem faciebat amor 727 *Ov. Met. XIII, 869* vigili date praemia vestro 731 *Ov. Fast. V, 296* Addidit et dictis altera verba suis 733 *Cf. Hor. serm. I, 4, 85* hic niger est, hunc tu, Romane, caveto cenchrin] *Cf. Lucan. Phars. IX, 712* cerasten] *Cf. Luc. IX, 716* 734 seps] *Cf. Luc. IX, 723* dipsas] *Cf. Luc. IX, 718* praester] *Cf. Luc. IX, 722* 736 *Cf. Verg. Aen. IV, 175* Mobilitate viget 737 *Ov. Met. II, 661* Iam mihi subduci facies humana videtur 738 *Ov. Met. XIII, 731* Illa feris atram canibus succingitur alvum Virginis ora gerens, *cf. Met. XIV, 60—67; Am. III, 12, 22* (= *A. Am. I, 332*) Pube premit rabidos inguinibusque canes 739 *Ov. Met. III, 253* Rumor in ambiguo est 740 *Cf. carmen Anthol. Lat. nr. 645 ed. Riese (II p. 96) Ausonio ascriptum, cui est titulus „Est et Non“*

Non hos suspicio vel res audita vel aurum
Fulciat: haec referant, quae sibi visa manent.
Utque fidem elicias, seiunctim discute eosdem,
Et quae quisque canat, singula verba nota.
Si duo sunt, ambos; si plures, dissice plures;
Si tres, seiunctis lex sit et ista tribus.
Praescius arcani, tutor casti, almus ephebus
Hoc in Achimenio rure peregit opus:
Inde senes reprobos conpressit saxeus imber,
Quos nubs nequitiae presserat ante nigrae.
Dissociato malos, certa sociare benignos,
Ut minus illa obsit plebs, iuvet ista magis.
Ut mala, quo mage sunt, magis obsunt, sic bona prosunt,
Dant ut oves plures lac, ita damna lupi.
Ne meditata prius te horum pellacia vincat,
Aspice, neu falsus sermo, sed unus eat:
Quos bene deprendes iterumque iterumque requirens,
Ambage et verbi si variando trahas.
Temnite falsa loqui, testes, reticereque vera,
Quamvis diversa qnae duo parte nocent:
Vera tacens et falsa loquens duo nequiter errant,
Hic, quia non prodest; hic, quod obesse cupit.
Et malus est unus, minus est tamen utilis alter,
Et, quamquam dispar, error utrumque tenet.
Nam minus hic quamvis delinquat et amplius ille,
Non errore procul distat uterque sibi:
Deicit hic stantem, hic temnit relevare iacentem;
Iste docendo premit, ille silendo nocet.

Saepe potestatum causa male linquitur aequum
Et favor atque metus vera tacendo premunt,

749 suscipio P 750 hanc P *Daniel* 753 discice P discute *coni. Duemmlerus* 755 archani *codd.* 756 Achaemenio *Sirm.* 759 Dissociare *Daniel* 760 iubet L P 761 que P quae *Daniel* quo L M 762 pluris M P *Daniel* 763 Ne] Nec *codd. et edd.* pellata M 764 erat L 765 prendes M deprehendes P *Daniel* deprehendens *Sirm.* 766 verbi] *an* verbis? 768 quae] vos *Daniel* nocere P vocent *Daniel* 770 hic nom prodest P, *om.* quia hic quod non *Daniel* ebes cupit P 771 unus *om.* P *Daniel* 773 hinc M 775 tempnit *codd.* 776 nocendo M P *Daniel Sirm.* sinendo M P *Daniel Sirm., corr.* silendo L 777 Sede postestatum L Sepostestatum P

751 discute] *Cf. supra v. 381. 603* 752 *Ov. ex Ponto I, 5, 20* Et sub iudicium singula verba vocem? *Her. XIX, 19* tua verba notavit *cf. Met. XIV, 818* memorique animo pia verba notavi 756 *Ov. Am. I, 4, 48* peregit opus, *cf. A. Am. II, 480* 757 *s. Dan. 13, 51* 758 nubs] *Cf. Auson. idyll. 12 de histor. 4* *Ov. ex Ponto II, 1, 5* pulsa curarum nube, *cf. Verg. Aen. VII, 705* volucrum raucarum .... nubem 759 *Cf. Ov. Fast. I, 218* quaerere . . . certant; *Verg. Aen. II, 64. IV, 443. VI, 178. IX, 519. X, 180* 765 *Ov. A. Am. III, 717* neque enim deprendere velles *Verg. Aen. II, 770* Nequiquam ingeminans iterumque iterumque vocavi; *Aen. III, 436* et repetens iterumque iterumque monebo; *Ov. A. Am. II, 127* Haec Troiae casus iterumque iterumque rogabat; *Met. XI, 619* iterumque iterumque relabens 766 *Cf. Ov. Fast. III, 337* sed verum ambage remota Abdidit et dubio terruit ore virum

Unde pavenda manet caelestis iudicis ira,
Cum videt humanas res superesse suis.

Sis vigil interea, ne, dum vis promere vera,
Quilibet intereat proditione tua.
Dignus morte manet sons: noli rodere sontem
Nec tua vox pandat sanguinis eius iter.
Felix, qui potuit miseros a clade levare
Actuque et lingua ferre salutis opem!
At mala, damnandi, si quaedam sentiat insons,
Credulus et iudex testis et ater erunt.

Est tribus infestus personis testis iniquus:
Censori, insonti seu tibi, summe Deus,
Quem male iurando sua per periuria temnit
Cuius et in vanum nomen erile petit.
Hinc quoque censori, sua quem mendacia fallunt
Et ligat erroris nexibus ille sui.
Postremo insonti, quem dictis laedit iniquis,
Cui parat ingenio damna pavenda malo.

Milvus ut ad carnem, piscis festinat ad hamum
Adque favos ursus, ad loca salsa pecus:
Sic ruit ad munus capiendum testis iniquus
Proque malo magno praemia grata capit.
Vendere si verum scelus est, quid vendere falsum?
Vis scelus et sceleri iungere, testis atrox?
Parcite vestra, precor, mendacia vendere tales!
Grata haec, nec gratis si mihi detis, erunt,
Quae nec emenda bona nec erant vendenda moneta:
Mercandus vano pulvere pulvis erat.
O merces, merces, mercede nocentior omni,
Dantem et captantem quae necat una duos!

783 promere P *Daniel* prodere *Sirm.* 787 Ad P 789 Est tribus] .... *Daniel* 791 tempnit *codd.* 793 Hin quoque P mendatia *codd. semper* 797 amum *codd.* 798 Atque *Daniel* salsa petens P *Daniel* 801—956 *desunt in codice Harleiano saec. XV* 801 *comma post* falsum *posuit Duemmlerus* Vendere si verum scelus est, quid vendere falsum, Ni scelus et sceleri iungere, testis atrox? *Daniel* 804 ne gratis *codd. et edd.* ingratis *Sirm.*, *cf. v. 831* 805 erat L

785 *Verg. Georg. II, 490* Felix qui potuit rerum cognoscere causas, *cf. Ov. Am. II, 5, 9* Felix, qui, quod amat, defendere fortiter audet; *Trist. V, 1, 80* Felix, qui patitur, quae numerare potest 797 *Cf. Verg. Ecl. II, 63* Torva leaena lupum sequitur; lupus ipse capellam; Florentem cytisum sequitur lasciva capella, Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas 800 *Ov. Met. VIII, 503* cape praemia facti, *cf. Fast. I, 678* Ut capiant cultus praemia digna sui; *ex Ponto III, 3, 43* Praemia nec Chiron ab Achille talia cepit 802 *Ov. Met. VIII, 484* In scelus addendum scelus est 803 Parcite] *Cf. v. 821; Ov. A. Am. III, 457* parcite credere *etc.* 807 *Cf. Hor. Ep. I, 1, 53* O cives, cives, quaerenda pecunia primum est

Hinc periurandi pestis succedit iniqua,
Dum quis vult falsis rebus inesse fidem.
Qui prece, qui lacrimis, qui falso murmure fallunt
(Sunt, quis saepe venit hac quoque parte fides). . .

*

Quisquis es, assidue moneo, iurare caveto,
Res quia iurare est, crede, pavenda satis:
Non quia res mala sit vel ab alma lege remota,
Sed crebro, dum fit, in scelus itur hians.
Non, nisi qui loquitur, poterit mentirier ullus;
Somnia, ni stertas, cernere nemo vales.
Non cadet in bello, nisi qui fera proelia temptat,
Nec, nisi temptet aprum, dente feritur apri.
Naufragus est nullus, nisi sulcet puppibus undas;
Nullus in igne perit, si sit ab igne procul.
Et, nisi qui iurat, peragit periuria nullus:
Quod nisi quis metuat, hac lue captus erit.
Cum capit auditor durus tua verba vel anceps,
«Est, est» et «non, non»: haec ea cuncta ligent.
Sint et quae excusant iurandi pondera verba,
Quis uti culpae fors sine sorde vales:
Si perstat mussans exemplis et ratione,
Atque argumentis, huic adhibeto fidem.
Si nec sic credit, si saxea pectora gestat,
Sit tibi linquendus: mox bene tutus abi.
At si iurandi te causa perurguet et artat,
Id puris verbis, id gere mente pia.
Nec verbi arte puta te fallere posse Tonantem,
Cui nihil abstrusum est, cui bene cuncta patent:
Qui non, ut iuras, sed, ut is iurasse putavit,

809 periurandi P *Daniel* peiurandi *ceteri, cf. v. 791. 823* 811 qua falso P fallant L 812 qui sepo P *Post* fides *lacunam statui* 816 sit L 817 mentiri erulus P 818 sternas *Daniel* nemo *om.* P *Daniel* 819 cadit *Daniel* premia *(cum e caud.)* tempnat P praelia temptat *iam Daniel* 821 nisi qui sulcet P 827 Sunt *Sirm.* q; excusent *Daniel* pondere *Daniel* 829 prestat M P praestat *Daniel* 831 nec si L M si] et *Daniel* 832 linguentibus L 833 Et si M 834 pura, *corr.* pia P 835—844 *laudat Hincmarus de divortio Hlotharii regis et Tetbergae ad interrogationem VI (Opp. ed. Sirm. I, 602)* 835 putato P *Daniel* putes te *Hincmarus* 836 cui tua corda *Hincmarus* 837 *An* putabit? ut his L P

813 *Cf. Ov. A. Am. I, 440* nec exiguas, quisquis es, adde preces *aliisque locis permultis* *Ov. Met. XIV, 247* moneo, fuge litora Circes; *Ov. Rem. Am. 104* Dicimus adsidue 816 *Ov. Fast. VI, 526* et furiis in scelus isse pudet 819 *Ov. Her. I, 31* monstrat fera proelia; *Trist. V, 6, 9; ex Ponto II, 5, 19* inter fera proelia 821 *Ov. ex Ponto II, 10, 33* Seu rate caeruleas picta sulcavimus undas 826 *Matth. 5, 37* Sit autem sermo vester: Est est, non non 831 *Ov. Met. VII, 33* Tum ferrum et scopulos gestare in corde fatebor 835 *Cf. Ov. Fast. II, 261* et audes Fatidicum verbis fallere velle deum?

Cui iuras, audit. Sicque es utrique reus,
Nempe Deo, in vanum cuius vis sumere nomen,
Seu socio, quem atra fallere fraude paras.
Si, scelus ut facias, iures (vota irrita sunto!),
Hoc illo est gravius, vulnus utrumque tamen:
Vulnera parva minus, magis et maiora fatigant:
Felix, qui nullo vulnere laesus abit!

Sit censura prius, pietas post: praemia numquam
Sint in iudicio: est quoque Christus ibi.
Lex auferre iubet capita scelerata reorum,
Crus, genitale decus, lumina, terga, manus;
Membra cremare rogis, ori perfundere plumbum
Vel, si quae humana condita lege manent:
Facta coercendis probrosis actibus illa est.
Temperet hanc pietas per mediocre bonum,
Ut nec probrosis sit conniventia rebus
Nec vitam aut artus auferat atra manus.
Esto reis talis, tibi vis qualem esse Tonantem:
Parcere quis tandem, qua potes, usque stude.
Et forsan lecto dicet quis carmine nostro:
«Iste iubet nulli frena tenere malo!»
Me tibi consilium legat hoc in carmine dantem,
Quo tua mens instans vitet utrimque malum,
Neve remissus eas sat neu truculentus et ater:
Proderit ancipiti lata medella malo
Non ius crudelem, non det miseratio segnem:
Namque aequo si sit plusve minusve, nocet.
Saepe latet vitii virtutis imagine pestis,
Et magis inde nocet, quo minus illa patet.
Scilicet ut quidam crudelia gesta peregit,
Justitiae ratus est se tenuisse viam.

*

841 iure P iure vota irrita sunto *interp. Daniel* Si scelus ut facias, iures, vota irrita sunto: *interp. Duemmlerus* 843 prava *Sirm.* 845 Si L P *Daniel Sirm.* 849 prefundere P *et* (pre *cum.* e *caud.) Daniel* 850 quae] qua *codd. et edd.* 853 cohibentia P conibentia *Daniel* conhibentia L M 855 regis P 857 Et] *fort.* At 859 hoc in L *Sirm.* in hoc *cett.* 863 nec det P *Daniel* 864 uocet P 866 quo magis inde nocet, *corr.* patet P quo magis inde patet *Daniel* 868 *Post hunc versum lacunam statui*

839 in vanum] *Cf. supra v. 792* 841 *Ov. Fast. IV, 642. Am. III, 10, 34* Irrita decepti vota colentis erant 844 *Cf. supra ad v. 785* 857 *Ov. A. Am. I*, 2 lecto carmine 859 *Ov. Fast. I, 532* Hanc fas imperii frena tenere domum; *Trist. II, 41* nec te quisquam moderatius umquam Imperii potuit frena tenere sui 860 *Ov. Fast. III, 212* Consilium vobis forte piumque dabo 861 *Ov. Trist. III, 7, 17* Sive malum potui tamen hoc vitare cavendo 864 *Ov. Fast. V, 110* Nullaque laudetur plusve minusve mihi; *VI, 274* Et tangat nullum plusve minusve latus; *Rem. Am. 560* Omnibus illa deus plusve minusve dedit *Ov. Her. XII, 11* Cur mihi plus aequo flavi placuere capilli? 868 *Ov. Met. II, 79* Utque viam teneas

Corripe tu vinclis sceleratos, corripe flagris
Teque sibi durum plebs vitiosa sciat:
Attamen in misero chalybem ne tinge cruore
(Hostibus et chalybem, prome flagella reis),
Ne, si dissimules, vitiis dicare favere;
Utaris armis, «trux» tibi nomen eat.
Conveniant alii leges defendere prompti
Atque reos variis dilaniare modis
Et dicant: «Non nos, sed lex hos prisca trucidat:
Utilis haec nex est, quae mala plura vetat.
Nostra ministerium legis conplere securis
Debet et obsequium, non scelus illud erit» —
Ille ego sim, redimam miserorum qui agmina multa;
Ille ego sim, plures qui cruce, clade levem;
Quem turba infelix lacrimosis spectet ocellis
Cernere quemque tremens coetus anhelet inops,
Quo viso repetant prope mortua corpora vires,
Spes visu crescat his et, utrumque, calor.

Submissurus eram, petiturus litora, vela,
Quo tibi grata quies, fessa carina, foret.
Sed tamen apparet transacto gurgite nobis
Parvula pars magni praeter eunda freti.

Est merito iungenda tibi de paupere turba,
Divite quae premitur, cura, libelle, brevis.
Namque inopum curam recinat pars ultima habendam,
Cui prior artis erat iura tenenda cani.
Pauperibus, quicumque praees, mitissimus esto
Teque his natura noveris esse parem.
Non hos conditio tibimet, sed culpa subegit,

871 chaliben P chalibem *cett.* 872 calibem *codd.* 874 *om.* L M Si gladio utaris *Sirm.* 875 Conveniunt M Cum veniant *Sirm.* 879 ministerii legis *codd. Duemmlerus* ministerii leges *Sirm.* ministerium legis *Daniel* 880 *post* erit *plene interpunxit Duemmlerus* 884 temens P 885 Quo *Daniel Sirm.* Qui *codd.* 886 utrumque M, *corr.* utrimque P utrimque *ceteri et edd.* 890 practereunda *codd. et edd.* 891 Est tibi *(eras.)* rito iungenda P Est rite iungenda M *Daniel* 893 *An* Iamque 894 cura *coni. Wattenbachius* 895 quisquis praees *Daniel* 897 condicio *codd.*

876 *Ov. Trist. II, 432* Detexit variis qui sua furta modis 881 *Ov. A. Am. II, 451 ss.* Ille ego sim, cuius laniet furiosa capillos: Ille ego sim, teneras cui petat ungue genas, Quem videat lacrimans, quem torvis spectet ocellis, *cf. ex Ponto I, 2, 33* Ille ego sum, lignum qui non admittar in ullum: Ille ego sum, frustra qui lapis esse velim; *Met. IV, 226* Ille ego sum, dixit, qui longum metior annum, Omnia qui video, per quem videt omnia tellus redimam] *Ov. A. Am. III, 19* Fata Pheretiadae coniunx Pagasia redemit 883 *Cf. Ov. Her. V, 45* et nostros vidisti flentis ocellos 887 *Ov. A. Am. II, 747* Sed repetamus opus: mihi nudis rebus eundum est Ut tangat portus fessa carina suos; *Met. XI, 393* fessis lora grata carinis; *Rem. Am. 811* Hoc opus exegi: fessae date serta carinae. Contigimus portus, quo mihi cursus erat; *Trist. I, 10, 20* Threiciam tetigit fessa carina Samon 888 *Ov. A. Am. III, 695* Grata quies Cephalo 893 *Ov. A. Am. II, 242* Curam mansuri quisquis amoris habes 895 *Ov. Am. III, 2, 21* Tu tamen a dextra, quicumque es, parce puellae *etc. Met. XIV, 586 s.* numquam mihi .... ullo Tempore dure pater, nunc sis mitissimus, opto

Quae dedit, ut homini subditus esset homo.
Horum te sudor, horum solatia ditant;
Pluribus his iunctis ditior unus ines:
Flumina concursu crescunt maiora minorum,
Proficit et dives pauperis auctus ope;
Corpora pinguescunt alieno corpore pasta,
Vivit et alterius morte refecta caro.
Fortior invalidum, pusillum conprimit ingens,
Crescit et hinc maior, deficit unde minor.
Haec capus accipiterque gerunt per litora curva,
Hoc lupus in silvis, piscis in amne facit.
Sic fera saepe fera, serpens serpente necatur,
Sic inbelle manet nil nisi praeda pecus.
O genus, exemplum fugito, mortale, ferarum
Nec homo sit homini, quod fera torva ferae!
Non opibus spolietur inops, non crimine falso
Addictus censum det miser ipse suum.
A, quoties it avara lues sub nomine recti
Incipit et nomen legis habere furor,
Quodque miser perdit, perhibetur perdere iuste,
Quodque rapit dives, tollere iure putat!
«Est fur estque fugax; huic fraudis conscia mens est;
Hic male mentitur; hic rapit atque clepit;
Hic male servitium studuit contemnere nostrum:
Proximus est noster, quem fugit ille diu.
Stipes eis plantas, conectant vincla lacertos:
Facta ut iniqua canant, lorea flagra ferant!»
Talia persultant, miseros cum laedere malunt,
Cum re, non vitiis hos spoliare volunt.
Flebilior sed iniqua gerens, qui sustinet, illo est,
Hic quod agendo perit, ille ferendo viget,
Sicque bono prosunt crudelia facta maligni,
Sic auri ferro dite politur opus:

899 solacia *codd.* 902 actus P 904 referta L M 907 Hoc *Sirm.* captus P *Daniel* 914 Addictis P *Daniel* 915 Am P *Daniel* 917. 918 Quotque L 918 *An leg.* putant? 919 furor M P *Daniel* 921 servicium *codd.* contempnere *codd.* 922 *Huic versui corruptelae signum addidit Daniel* 930 dete M

901 *Cf. Ov. ex Ponto II, 5, 22* e rivo flumina magna facis 903 *Ov. Met. XV, 88 ss.* Heu, quantum scelus est, in viscera viscera condi congestoque avidum pinguescere corpore corpus Alteriusque animantem animantis vivere leto 907 *Cf. Isid. Origg. XII, 7, 57* Capus Italica lingua dicitur a capiendo; hunc nostri falconem dicunt. *Duemmlerus* 907 *Verg. Aen. III, 223* litore curvo; *ib. 238* sonitum per curva dedere Litora; *ib. 643* curva haec habitant ad litora; *X, 684* et litora nando Curva petat; *Ov. Met. XI, 352* fessos ad litora curva iuvencos 911 *Ov. A. Am. III, 87* Ite per exemplum, genus o mortale, dearum 913 *Cf. Ov. Met. XIII, 308* an falso Palameden crimine turpe est Accusasse mihi, vobis damnasse decorum? 914 *Ov. Met. VII, 739* dum census dare me pro nocte paciscor 915 *Ov. Trist. I, 3, 51* A! quotiens aliquo dixi properante „quid urges"; *ib. 53* A! quotiens certam me sum mentitus habere Horam; *A. Am. I, 318* A! quotiens vaccam vultu spectavit iniquo 919 *Cf. Ov. Fast. IV, 311* Conscia mens recti *Ov. Met. II, 593* conscia culpae Conspectum lucemque fugit 930 *Ov. A. Am. I, 70* externo marmore dives opus

Namque iuvare solet pravorum saevior usus
Justos, quo afflicti caelica regna petunt.
Quo premit Hebraeam mage plebs Memphitica gentem,
Ad promissa magis tendere iura parat.
Ne violentus eas miseris, sed blandior esto,
Vota quibus forsan sunt meliora tuis.
Hos nec operta fraus nec aperta licentia laedat:
Securi et tuti sint ab utroque malo.
Ne reputa diras, sed certa ignoscere, culpas,
Quis sine in hac vita vivere nemo valet.
Debita qui semper tibimet laxanda precaris,
Hoc inopi facito, quod petis ipse Deo,
Ne, tua si miserum levet indulgentia nullum,
Cum petis hanc, eius destituaris ope.
Sic, dum conservo contemnit parcere servus,
Iram in se iusti mox revocavit eri.
Parcere, mortalis, mortalibus ergo parato,
Cum quis naturae lex manet una tibi,
Quisque tuo dispar si sit per prospera cursus,
Ortus et occasus, qui tibi, par et eis:
Fons sacer hos tecum beat, inlinit unguen avitum
Atque agni satiat hos caro sive cruor:
Ut pro te, vitae est pro his quoque mortuus auctor
Quemque et pro meritis ad sua dona vocat.

Hic submittantur transacti carbasa libri:
Litore in hoc teneat ancora iacta ratem.

932 *an* petant? *Wattenbachius* hebream *(cum priore e caud.* M P) *codd.* 934 iura *codd. et edd.* rura *Sirm., quod placet* 939 reputo iras M certo M 945 contempnit *codd.* 946 revocavit *codd. et edd.* revocabit *Duemmlerus* 949 *an* tuus? 951 inliuit P 952 faciat P saciat *cett.* 956 anchora *codd.* *In fine:* EXPLICIUNT UERSUS TEUDULFI EPISCOPI CONTRA IUDICES P, *subscriptione carent* L M

933 *Ov. A. Am. I, 77* Memphitica templa 936 *Ov. Fast. IV, 895* Vota valent meliora 941 *Cf. or. domin. Matth. VI, 12* 956 *Ov. A. Am. I, 772* Hic teneat nostras ancora iacta rates; *Rem. Am. 811* Hoc opus exegi, fessae date serta carinae, Contigimus portus, quo mihi cursus erat; *Trist. V, 2, 42* Ancora iam nostram non tenet ulla ratem. *De hoc fine cf: carmen codici Bernensi nr. 286 s. X subscriptum:* Nauta rudis pelagi ut saevis ereptus ab undis In portum veniens pectora laeta tenet, Sic scriptor fessus calamum sub calce laboris Deponens habeat pectora laeta quidem *(catal. codd. Bernn. p. 279); cod. Bern. 527 s. XV f. 66 b (catal. codd. Bernn. p. 442, nr. 12, 2)* Ut gaudere solet fessus iam nauta labore — Exultat viso lassus et ipse quidem, *cf. ind. philol. ed. Leutsch. II, p. 870.*